DE

PHILIPPI BEROALDI

JUNIORIS

VITA & SCRIPTIS

(1472-1518)

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

IN SORBONA PROPONEBAT

J. PAQUIER

Doctor in Philosophia et in Theologia

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. LEROUX

Via vulgo dicta Bonaparte, 28

1900

DE

PHILIPPI BEROALDI JUNIORIS

VITA & SCRIPTIS

DE

PHILIPPI BEROALDI
JUNIORIS
VITA & SCRIPTIS

(1472-1518)

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

IN SORBONA PROPONEBAT

J. PAQUIER

Doctor in Philosophia et in Theologia

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. LEROUX

Via vulgo dicta Bonaparte, 28

1900

Ornatissimo et doctissimo viro

VICTORI MARTIN,

Olim in Andegavensi Universitate professori,

GRATUS DISCIPULUS,

J. PAQUIER.

PRAEFATIO

Novo magnoque studio impulsi, jam libentissime ea latine scripta requirimus quae in Italia, moxque in omni Europa saeculis XIV°, XV° et XVI° floruerunt, tempore scilicet quo litterae et artes renasci *videbantur. Olim quidem nemo litteratus erat quin hujusmodi libros haberet, quin perlegeret, sermonis pulchritudine captus et quasi illectus; hodie vero qui ea opera evolvunt, pauciores profecto, minus curant utrum stylus politissimus sit necne, sed omni ope detegere cupiunt qui mores, quae disciplina, quaenam instituta tunc temporis in Italia aliisque Europae provinciis viguerint.*

Quo quidem studio ego ipse incensus diligentissimam operam dedi ut Philippi Beroaldi junioris vitam et scripta perquirerem et describerem. Is enim et sua vita et suis operibus non obscurum locum obtinuit inter eos tantae famae viros qui hac Julii Papae II^i^ et Leonis X^i^ clarissima aetate floruerunt. Insuper, non solum Beroaldi scripta illius temporis indolem redolent, sed multa ex parte historiam narrant. In iis enim quibus Taciti scripta explicavit, ostenditur quanto amore Leo papa X^us^ in antiquos fuerit affectus; in oratione autem quae in gratiam Francisci Mariae Roborei a Beroaldo composita est (quae quidem oratio a me hodie in lucem producitur primum) exponitur et novo lumine illustratur res ista quae Julii II^i^ pontificatum tragico funere obscuravit, repentinam dico Cardinalis Alidoxii necem; tandem, diversis nostri Beroaldi carminibus multa hujus temporis facta canuntur et depinguntur.

Quae omnia nunc ipse explicaturus et novis, credo equidem, luminibus ornaturus, multisque ineditis rebus quas in variis codicibus reperi, spero fore ut opusculum meum doctis viris aliquam voluptatem afferat et utilitatem.

Dicam igitur 1° de Vita Beroaldi junioris; 2° de ejus Operibus. Exquiram 3° qua diligentia Isocrateam Orationem ad Demonicum *in latinum sermonem verterit; 4° qua oratoria facultate fuerit praeditus; 5° quo studio Taciti codicem typis mandandum curaverit; 6° quid Beroaldi Carmina et Epigrammata ad historiam conferant, ac quo ingenio et qua arte Beroaldus ea composuerit.*

Singula singulis capitibus absolvam.

Mihi tandem haec venia detur, quaeso, ut, cum necessitas aliquando inciderit, latinis quibusdam verbis utar quae neque a M. Tullio Cicerone, neque ab aureis illis, qui Augusti tempore florebant, scriptoribus fuerunt unquam adhibita. Multa enim proferre in medium cogor invitus, de quibus profecto nulla Augusti aetate mentio facta fuit. Itaque doctissimi cujusque legentis indulgentiam et benevolentiam exposco.

Lutetiae Parisiorum, XV° kalendas novembres, anno post Christum natum MDCCCXCVIII.

DE

Philippi Beroaldi Junioris

VITA ET SCRIPTIS

CAPUT I

PHILIPPI BEROALDI JUNIORIS VITA

Saeculo XV° studium legum Bononiæ decreverat, nec jam advenerant illi magni jurisconsulti qui posteriore aevo novum splendorem Bononiensi civitati praebituri erant, Alciatus scilicet et Cujas. Sed contra in hac urbe tunc temporis artes ingenuaeque litterae magno nitore splendebant. Hoc aevo enim aedificabatur *Corporis Domini* templum, et multa ingentis artis palatia, ita scilicet ut, si Florentiam excipias, artium caput et matrem, nulla Italica urbs tot et tanta hujus temporis monumenta possideat. Eodem tempore, templi insignis Divo Petronio dicati praecipuam portam Jacobus Quercensis crustis ornabat, in quibus nescias utrum vivam personarum similitudinem magis admireris an copiosam ornamentorum abundantiam; Nicolaus Arcensis, Jacobi discipulus, fabricabat illud singulari pulchritudine opus, tectum dico quo protegitur ea magnifica Arca in qua Divi Dominici ossa requiescunt. Labente saeculo, exsurgebat Franciscus Raibolinius, Francia cognomine, clarissimus vir, scholae pictorum Bononiensium culmen, « aurifex nobilissimus Francia civis noster », ut ait ipse Beroaldus junior in

epistola ad Antonium Galeatium Bentivolum, quam operibus Urcei Codri præfixit (1).

Nec tamen eo saeculo Bononiae construendi, sculpendi aut pingendi artibus gradum litterae cedebant, immo ad apicem gloriae tunc ibi venerunt. Equidem saeculo XV°, quod tot viros incredibili latini sermonis scientia illustres produxit, Bononia paucos hujusmodi doctos genuit, aut apud se retinere voluit; qui tamen plerique Bononiensi in civitate domicilium quodam tempore habuerunt, nec raro, ex urbe egressi, Bononiam redierunt. Sic Franciscus Philelphus semel atque iterum eloquentiam et philosophiam ad mores spectantem Bononiae publice docuit; sic Gasparinus Barzizza et Galeotius Martius Bononiam venerunt; Guarinus Veronensis ejusque filius Joannes Baptista Bononiae publice docuerunt; Thomas Parentucellius, qui postea Nicolai V^i nomine Petri sedem illustravit, Bononiensis episcopus antea fuerat; paucos post annos Nicolaus Perrotius in universitate Bononiensi rhetoricae et poesis, philosophiae et etiam medicinae disciplinas tradidit peritissime; ab anno 1482 ad annum 1502 Antonius Urceus, cognomento Codrus, utramque linguam, latinam scilicet et graecam, maxima cum laude docuit. Tandem, Bononia inter alios genuit Joannem Lamolam et Philippum Beroaldum seniorem. Prior non sine decore Papiae, Venetiis et Bononiae doctor fuit et praeceptor, dignus a Nicolao V° aestimatus qui promisso pretio Romam arcesseretur. Philippus Beroaldus senior ab omnibus inter doctissimos tunc temporis viros semper annumeratus est; nec immerito, quippe qui decimum nonum annum natus jam omnem sui temporis scientiam exhau-

(1) De hac epistola, cf., infra, cap. II. De modo quo artes tunc temporis Bononiae floruerunt, cf. J. Burckhardt, *Le Cicerone, guide de l'art antique et de l'art moderne en Italie* (Paris, 1885-1892, 2 vol. in-16); II, p. 119-122; 392; 404-405; 534-536; 596-604; G. Lafenestre, *La peinture italienne.* T. I, *Depuis les origines jusqu'à la fin du XV^e siècle* (Paris, 1885, in-8), p. 326-339; E. Müntz, *Histoire de l'Art pendant la Renaissance* (Paris, 1889, in-4°), T. I, passim, et praesertim p. 156-160.

serit et postea *viventis bibliothecae* cognomine semper fuerit insignitus. Maxima suae vitae parte in patria bonas litteras docuit, usque ad sexcentos discipulos cujusque gentis eodem tempore audientes habuit, doctissimisque annotationibus multorum ex antiquis scriptoribus illustravit opera. Beroaldi senioris aetas litterarum Bononiensium plane aurea fuit, quippe quae tot et tanta fama magistros, tot et tam diversos discipulos possederit (1).

Graecis quidem disciplinis aliquanto minus ac latinis saeculo XV° Bononia imbuta fuit; neque tamen dicendum, ut gallicus quidam scriptor (2), Bononienses, juris studiis omnino deditos, linguae graecae tunc frigide admodum studuisse. Fateamur necesse est Bononiae hoc saeculo non extitisse magistros qui graeci sermonis venustatem et lepores docerent quotidie; non dubium est tamen quin Graeci aut Itali quidam, graeci sermonis gnari, Bononiam tunc incoluerint et vel in publicis, vel in privatis scholis graecas litteras hic tradiderint, ita ut et inter ipsos urbis cives et inter homines, qui ex aliis regionibus huc venerant, Bononiae non defuerint eo tempore qui, Platonicae linguae periti, graecos codices in latinum sermonem transferrent. Ita evenit ut non pauci Bononienses eam linguam apprime callerent, ex quibus satis sit referre Thomam illum Parentucellium, Bononiae et Romani Pontificatus decus, qui postea ditissimam illam graecorum codicum segetem erat empturus; et Philippum Beroaldum seniorem, cum latini tum graeci sermonis peritissimum. Inde etiam, quod nuper indicavi, fac-

(1) Mazzuchelli, *Gli Scrittori d'Italia* (Brescia, 1753, in-4), T. II, P. II, p. 103 et seq.; C. Malagola, *Antonio Urceo, detto Codro* (Bologna, 1878, in-8), p. 222; Aug. Corradi, in *Documenti e studi di storia patria per le provincie di Romagna* (Bologna, 1886, 2 vol. in-8), II, 358-360, 413; A. Gaspary, *Storia della letteratura italiana*, T. II, cap. XVII: *Gli Umanisti del secolo XV*; R. Copley Christie, Étienne Dolet (traduction Stryienski; Paris, 1886, in-8), p. 59.

(2) A. Firmin-Didot, *Alde Manuce et l'Hellénisme à Venise* (Paris, 1876, in-8), p. XLIII.

tum est ut Bononiensibus typis mandati sint, in latinam linguam translati, Ptolemaeus et Diodorus Siculus (1), mox divus Joannes Chrysostomus (2), Aesopus, Aristoteles, Plato, aliique quos enumerare longum esset (3).

Hoc igitur tempore, kalendis scilicet octobris anni post Christum natum 1472, Bononiae natus est Philippus Beroaldus junior.

Bononiae antiquum et optimum locum obtinebat gens Beroaldina. Anno 1279 annumeratur inter illas quae pro Lambertatianis intervenerunt, in foro publico Bononiensi, de pace ferienda cum factione Geremiorum. His insuper temporibus, quanquam injuria temporum et destructis chartis nihil de hac re reperitur, certum est Beroaldos interfuisse consilio *Quadringentorum*. Labentibus saeculis, multi Beroaldi in fastis Bononiensibus inscribuntur. Inter eos imprimis floruerant, saeculo quidem XIV°, beatus Bartholomaeus ex ordine Jesuatarum, saeculo vero sequenti Philippus Beroaldus senior, quem supra vidimus unum fuisse ex famosissimis illius aevi *humanistis* (4).

In *Rotulis Lectorum Artium* Universitatis Bononiensis legitur nostrum Beroaldum Nicolai Beroaldi notarii (5) filium fuisse. Ejus mater fuit Bartolomaea Formalinia, Nicolai Beroaldi uxor, quae et ipsa Bononiensis erat (6).

Fuit olim non parva dissensio inter auctores quonam gradu propinquitatis fuerit cum illo Beroaldo seniore conjunctus Beroaldus noster (7); hodie vero de hac re

(1) Translati a Jacobo Angelo et Poggio Bracciolinio (1472).

(2) Chrysostomi 25 tantummodo contiones tunc fuerunt in latinum sermonem translatae.

(3) C. Malagola, *Antonio Urceo, detto Codro*, cap. II : *Dell'Ellenismo in Bologna sino alla metà del secolo XVI*.

(4) P. S. Dolfi, *Cronologia delle famiglie nobili di Bologna* (1670), p. 135.

(5) De quo vide Malagolam, *op. cit.*, p. 289-290.

(6) G. Fantuzzi, *Notizie degli Scrittori Bolognesi* (1782, in-fol.), II, 136.

(7) Cf. Appendicem I.

disserere inutile est, cum Beroaldus ipse junior, in epistola ad Aldum Manutium directa, et a Petro de Nolhac nuper edita (1), rem dilucidet : « Nunc, ait, de me pauca. Scito me esse nepotem Philippi Beroaldi, ejusque cognominem atque gentilem ; duo enim Philippi sumus in eadem familia et professione. » Quo in loco certum est a Beroaldo vocem *nepotem* eo sensu usurpatam esse quo plerumque in linguis recentioribus sumitur (2).

De tempore quo natus est noster Beroaldus vix dici potest dissensionem esse inter scriptores. Ricciolius quidem tenet eum 7ª die novembris 1453 natum fuisse (3). Sed evidenter Minorem pro Majore ponit, cum Beroaldus major hac ipsa die et hoc anno natus sit (4). Contra, omnes alii scriptores affirmant nostrum kalendis octobris 1472 natum fuisse, imprimisque Lucas Gauricus in suo miro *Tractatu Astrologico* (5).

Exactis vitae primis annis, Beroaldus minor disciplinas Bononiensis Universitatis sequi coepit, imprimisque duorum praecipuorum tunc temporis magistrorum, scilicet Antonii Urcei cognomento Codri, et Beroaldi majoris. Mox inter illorum optimos discipulos annumerari meruit. « Discipulos varios, inquit Pinus, cum externos tum indigenas habuit Beroaldus major, inter quos spei maximae et jam conspicui nominis Joannem Baptistam Pium Bononiensem simul et Philippum Beroaldum juniorem, gentilem et cognominem suum, quorum uterque

(1) P. de Nolhac, *Les Correspondants d'Alde Manuce*, in *Studi e Documenti di storia e diritto* (Roma, 1887), p. 268. Die 18 julii 1500.

(2) Cf. Vittorio Cian, in annotationibus ad opus cui titulus Castiglione, *Il Corteggiano* (Firenze, 1894, in-8), p. 207.

(3) Ricciolius, *Chronologia reformata* (Bononiae, 1669) III, p. 272.

(4) Mazzuchelli, *op. cit.*, p. 1003.

(5) Lucas Gauricus, *Tractatus Astrologicus in quo agitur de praeteritis multorum hominum accidentibus per proprias eorum genituras ad unguem examinatis. Quorum exemplis consimilibus unusquisque de medio genethliacus vaticinari poterit de futuris.* (Basileae, 1575), T. II, p. 1636.

jam satis sua virtute clarescit ac in posterum famae et ingenii laude posteritati cantabitur (1). »

Sed de his Beroaldi in bonis litteris incrementis magistri ipsius, majoris scilicet Beroaldi, praeclarum testimonium habemus. Sumpta occasione verbi cujusdam, quod apud Celsum ὑδροφλόγας pro ὑδροφόβος corrupte hactenus et perperam legebatur, « hujusce, inquit, castigationis in Cornelio Celso me submonuit et quasi conniventem expergefecit meus ille Gentilis, et cognominis, Philippus Beroaldus minor, adolescentulus apprime doctus, et graecam latinamque linguam bene callens, qui dum sitienter philippizei, hoc est Philippum imitatur, et per nostra vestigia it, jam ex scholastico factus est professor, etsi novitius, non tamen proletarius ; me in praesentia effingit, me habet archetypon, mihi proximus, sed intervallo non longo proximus, mox, ut spero, et opto, nos et nostra transcendens longius percurret, atque emicabit. Video ex hac doctrinarum scintilla, lucem maximam fulgentissimamque maturissime erupturam, et, ut inquit ille, meliorem praesto magistro discipulum. Sicut laetor factura manuum mearum, ita gaudeo in nobis impleri vetus adagium, quod est : πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, multi discipuli meliores praeceptoribus. Laus doctoris est profectus discipulorum ; juvat me quod sicut ego succrevi gloriae praeceptoris mei Francisci Puteolani viri doctissimi, magna cum laude, ita mihi succrescat Gentilis meus non minus probitate spectatus, quam eruditione conspicuus, qui me amat ut necessarium,

(1) Clarissimi et illustrissimi viri Philippi Beroaldi Bononiensis vita, per Joannem Pinum Tolosanum. — Impressa Bononiae perdiligentissimum Bibliopolam Benedictum Hectoreum Bononiensem anno Domini MDV, et die XXII sept. — 30 folia nullo numero notata. — Hunc librum legi Romae in bibliotheca Angelica (0, 4, 17). Cujus libri legitur in ultima pagina : Il sig^r Fulvio Orsino. » Invenitur etiam in Paris. Nation. Bibliotheca, K. 4. 272. Cf praeterea Panzer, *Ann. Typ.* VI, p 324, nº 38, IX, p. 412, nº 38.

Illa *Vita Philippi Beroaldi Senioris* invenitur etiam, typis iterum mandata, apud Meuschenium, *Vitae summorum dignitate virorum* (Coburgi, 1753) ; locus vero a me citatus p. 144 legitur.

colit ut parentem, observat ut doctorem. Erit pulchrum, et apud posteros memorabile, si modo monumenta nostra, ut auguramur, sunt futura diuturniora, duos Philippos in gente Beroaldorum non obscuri in studiis litterarum nominis, inter professores humanitatis non postremos, eodem tempore floruisse, sicut olim tres in gente Curionum continua serie oratores extitisse memorantur. » (1)

Hoc praeclaro testimonio videmus insuper tunc temporis Beroaldum juniorem jam *Professorem* esse. Revera, ex Antonii Codri Urcei epistola infra relata (2) discimus eum anno 1498 « profiteri incepisse » humaniores litteras in patria sua, anno scilibet aetatis suae XXVI°. Jam nostrum Beroaldum callere duabus antiquis linguis, graeca scilicet et latina, in omnium ore habebatur, teste Joanne Antonio Flaminio, qui sic incipit quosdam hendecasyllabos ad Beroaldum nostrum missos :

Clari progenies colenda patris,
Gentis praecipuum decus latinae,
Sermonis patrii, potensque Graii,
Clarorum specimen virorum Philippe (3)

Multos ex magistris, qui Bononiae tunc temporis legebant, noster Philippus amicos habuit. Quorum profecto uni pro ceteris adhaesit Beroaldo illi seniori, ut jam vidimus ; cui etiam proxime conjungendus est Antonius Urceus, cujus mortui opera typis mandanda curavit noster, praemisso quidem longo prooemio, quo exacuerentur legentium animi et ad admirationem incitarentur (4).

(1) *Comment. in Lucium Apuleium IX* (Venetiis, 1510), f. 161.

(2) Infra, p. 11.

(3) *Carmina illustrium poetarum italorum* (Florentiae, 1719-1726), IV, p. 367 ; iterum typis mandatum in : Marci Antonii, Joannis Antonii et Gabrielis Flaminiorum Forocorneliensium *carmina* (Prati, typis Raynerii Guasti, 1861, in-8), p. 454.

(4) Bononiae, 1502 ; cf., infra, cap. II ; Miraeus, *De scriptoribus ecclesiasticis saeculi XVI*, (1649) ; apud Fabricium, p. 128.

Alexandrum quoque Sartum (1) habuit, ut Beroaldi ipsius verbis utar, « amatissimum » (2).

Eodem etiam tempore, commercium litterarum iniit Philippus noster cum Aldo Manutio, illustrissimo scilicet in libris incudendis viro. Ejus ad Manutium tres epistolas habemus (3). Quarum in una (Bononiae, die 18ª julii MD scripta), dicit se dedisse operam ut Bononiensem apud civitatem retineretur Georgius Graecus ; sed Georgius ille, « in quem impie municeps noster se gessit, maluit Venetias repedare ». Deinde professus quanto amore Aldum prosequeretur, addit se Codri vita functi opera dono habuisse, valdeque desiderare unum *quinternionem* qui deerat « in epistolis illis graecis a te, inquit, impressis Codroque dedicatis » (4).

In altera epistola (Bononiae, die 8ª martii MDI scripta) loquitur de illo et altero *quinternione*, et de eodem Georgio Graeco : « Quum Bononia discessit, inquit, accepit a me sex marcellos mutuo ; quod si pecuniae summa est illi inopia, ut esse credo, perscribat mihi aliquod opusculum graecum, ut puta orationem aliquam Demosthenis vel alicujus alterius oratoris ; tam mihi hoc gratum esset, aut certe gratius, quam pecuniam exigere. »

In tertia tandem epistola (Romae, die 15ª novembris MDV scripta) mentionem facit de « Adriani cardinalis Sancti Chrysogoni *ad Ascanium cardinalem venatione* », quod opus ab Aldo formis excusum est. Rogat Aldum ut aliquas mendas curet in calce opusculi imprimendas. Insuper docte disserit utrum Ἀδρίανος an Ἁδρίανος scribendum sit, concluditque his verbis : « Graecos Ἀδρίανον scri-

(1) De quo vide Malagola, *op. cit.*, p 126, 231 ; *Documenti*... II, 421.

(2) De Nolhac, in *Studi e Documenti di storia e diritto* (Roma, 1887), p. 257, 268.

(3) De Nolhac in *Studi e Documenti* (*op. cit*), 1887, p. 268-270.

(4) De illa Aldi editione cf. Beriah Botfield, *Prefaces to the first editions of the greek and roman classics and the sacred scriptures* (London, 1861, in-4), p. 243.

bere, et monumenta alia antiqua asperationem non ostendere, quanquam nec multa desint numismata quae Hadrianum velint. »

Bononiensis etiam videtur fuisse Faustus ille, cui scribebat Philippus die 3ª septembris anni MDV. « Ne forte Fausti mei oblitum me suspicere, cui non parum debeo, mitto ad te quasdam meas nugas, quae me proximis diebus Beroaldi mei obitum graviter dolentem ita consolatae sunt, dum illas meditabar, ut salutem meam illis prope debere me fatear, adeo filioli sui cuique arrident et blandiuntur (1) ».

Tandem e discipulis quos Bononiae habuit noster Beroaldus, nonnullos, paucos quidem, novimus, Wolfgangum scilicet Schiliccum (2) et tres Comites Ludovicum e sancto Bonifatio, Herculem Rangonem et Comitem de Populis, quos tenero amore prosequebatur, si iis quae narrat Castilionus fidem facimus (3). Praeterea, sive Bononiae, sive postea Romae, discipulus Beroaldi junioris fuisse videtur Itelwolfius de Lapide seu de Stein. « Latinas litteras, ait Ulricus Huttenus, in Italia didicerat Itelwolfius, ut plurimum praeceptore Philippo Beroaldo, quem non modica liberalitate demeruerat (4) ».

Ceterum, quam praeclara fuerit Beroaldi docentis fama, cum aliorum testimoniis, quae jam relata sunt, tum his Antonii Urcei verbis compertum habemus : « At Philippus Beroaldus junior... profiteri publice incepit, qui exceptus est omnium plausu, in primisque mei, nam et in nostro ludo sedit (5). »

(1) Ms. Vat. lat. 3351 (non autem 3350, ut ait Fantuccius, *op. cit.*, II, 140), f. 147ᵛ.

(2) Bandello, *Novelle* (1573), IV, p. 27.

(3) Castiglione, *Il Corteggiano* (Florentiae, 1894, in-8), p. 205-207.

(4) Ulrichi de Hutten *Deploratio obitus Itelwolfii de Lapide seu de Stein*; apud Meuschenium, *Vitae summorum virorum* (1735), p. 64 ; de quo cf. etiam Mazzuchellium, *op. cit.*, T. II, P. II, p. 1018.

(5) Antonii Codri Urcei *Opera* (1502), f. S, ii (J. B. Palmerio Antonius Urceus, 15 april, 1498).

Quid plura? Ea fama Bononiensibus muris non diu inclusa fuit ; anno enim 1502 Beroaldus Romam arcessebatur ad docendum in Archigymnasio Urbis (1), quod mox sub Leone X° ad apicem gloriae suae erat perventurum (2).

Quatuor igitur annorum spatio noster Beroaldus publice legit in patria sua ; quod aliunde confirmatur *rotulis Universitatis* annorum 1499-1502, in quibus haec leguntur : « *Ad Rhetoricam, Poesim et Grammaticam de sero : Philippus Ser Nicolai de Beroaldis* ». Nec ex eo quod anno 1498 in hujusmodi *rotulis* non invenitur nostri nomen, statim concludendum est Philippum anno illo non fuisse officio suo functum. Etenim uniuscujusque anni initio scribebantur *Rotuli*, et noster Beroaldus fuit electus *professor* solummodo cum nonnullis jam elapsis mensibus iterum apertae erant scholae (3).

Quae vero fuerit causa cur Bononiam reliquerit Beroaldus non plane scimus, possumus tamen suspicari. Bononia quidem illustris erat civitas celebrisque, sed Roma illustrior et celebrior, quippe quae praeter suum antiquum splendorem videret jam supra se elucescentem auroram aureae aetatis Julii II[i] et Leonis X[i]. Insuper, professores Bononiae, teste Antonio Urceo, parvo stipendio fruebantur : « Nos, inquit, sive doctores, sive magistri, sive poetae, debemus huic florentissimae Reipublicae, quae laboribus nostris congrua salaria retribuit, et multo magis deberemus, si plures pecunias nobis suppeditaret (4). »

Fortunam igitur cum quaereret meliorem, Beroaldus Romam petivit. Postea sane Bononiam iterum reversus

(1) C. Malagola, *op. cit.*, p. 291 ; *Documenti e studi... per la Romagna* (*op. cit.*), II, 421.

(2) Pauli Jovii *Vita Leonis X* (Basileae, 1578, in-fol.), p. 58 ; G. Bianchini, *Dei granduchi di Toscana* (1741), p. XXI.

(3) C. Malagola, *op. cit.*, p. 291.

(4) Antoni Codrii Urcii *Opera* (1502), p. 249.

est, quippe cui Bembus scriberet : « Accipio excusationem tuam cur Bononia Romam rediens, nos, quemadmodum pollicitus fueras, non inviseris, perque Hetruriam profectus sis (1). » Sed Bononiae nunquam deinceps publice legit. Alia quidem Bembi ad eum directa epistola (2) discimus, anno 1505, mortuo Beroaldo seniore « Bononienses juniorem per litteras publice missas hortatos esse ut ad sese veniret, demortuique illi locum pollicitos esse ». Insuper, e verbis quae refert Castilionus (3) videtur quodam tempore Beroaldus ipse appetiisse ut Bononiam rediret. Sed in litteris nuper citatis (4), Bembus eum exhortabatur ut Romae permaneret, et revera Beroaldus civibus suis non assensit, Romaeque sedit.

Cum Romam Philippus noster appulit, fuit a Julio papa II°, Bembo teste, benigne acceptus : « Beroaldus, inquit illustris Venetianus, in aere illius jampridem est ; cujus cum simplex laudabilisque vita, tum doctrinae elegans eruditio atque in poeticis studiis mira praestantia ejus stipendio ac liberalitate maxime alitur (5).

Quaedam alia, pauca quidem, de iis primis annis quas Beroaldus Romae transegit, cum illius tum aliorum testimoniis scimus. E tertia epistola quam Beroaldus ad Aldum scripsit, videmus eum tunc temporis « Adriani cardinalis contubernio degere » (6) Ex oratione Philippi manuscripta, quam in Bibliotheca Vallicelliana invenimus (7), concludi potest, ni fallor, eum pro Francisco Maria Roboreo locutum esse, quando ille dux, Ali-

(1) Bembi *Opera* (Venetiis, 1729, 4 vol. in-fol.), IV, 190, (Urbini, 16° Kal. Jan. 1507)

(2) *Item*, IV, 189 (Idib Januar. 1505).

(3) Castiglione, *Il Corteggiano* (Firenze, 1894, in-8), p. 205-207.

(4) Cf., supra, annot. 2.

(5) Bembi *Opera* (Venetiis. 1729, in-fol), IV, 274, *De Guido Ubaldo Feretrio*.

(6) Cf., supra p. 10, (15 nov. 1505).

(7) Cf., infra, cap. IV.

doxio occiso, a patruo papa coram quatuor cardinalium tribunali citatus fuit. Brevi, insuper, postquam Romam venit, amicitia cardinalis Joannis Medicis gavisus est qui eum *a secretis* elegit. Ignoratur quo anno hoc munus susceperit Beroaldus, sed certum est hoc non exiguo tempore ante annum 1514 evenisse, cum in bulla, qua Leo Beroaldum Praepositum Academiae Romanae fecit, haec legantur : « Philippo Beroaldo clerico Bononiensi Notario, et secretario nostro antico (1). »

Postquam idem cardinalis factus est papa sub nomine Leonis X[i], novis honoribus Beroaldum adauxit. Anno enim 1514 eum fecit *Romanae Academiae primum Praepositum*. Quo quidem titulo sese decorat Beroaldus in epistola qua Leoni X° dedicat suam Taciti editionem (2).

Porro hic non agitur de Academia romana a Pomponio Laeto fundata, et quae ineunte saeculo XVI°, Joanne Corytio et Angelo Colotio tutoribus, flores adhuc producebat ; sed de Academia loquor ab Innocentio IV° condita, et a Bonifatio VIII° in Universitatem aucta. Cui quidem Universitati, seu Romano Gymnasio, Leo X[us] magna incrementa dedit. (3) Cum vero totum Gymnasii palatium ab integro iterum aedificare Leo pontifex non posset, aediculam (seu capellam) saltem extruxit (1514), in honorem divi Leonis papae et divi Fortunati martyris « cui Praepositus, ut in Bulla dicitur, duoque presbyteri in sacro ministerio deservirent, in eaque, cum constructa et aedificata fuerit, unam Praeposituram, quae pro clero Romano dignitas sit, pro uno Praeposito Academiae nuncupando, et duas perpetuas Capellanias pro duobus perpetuis Capellanis, Capellanis ejusdem Academiae Roma-

(1) Cf., infra., p. 15, Vide insuper Carafam et Fantuccium, locis ibidem notatis.

(2) Infra, cap. II

(3) Cocquelines, *Bullarium Romanum*, T. III, P. III, p. 370, Bulla Dum suavissimos... », non. nov. 1513.

nae nunpandis,... erigimus et instituimus.. » (1) « Tum sacris hisce ministris, ait Carafa, stipendium constituit; Praeposito scilicet centum scuta aurea singulis annis, illorum vero nominandorum potestatem ipsis Gymnasii Reformatoribus concessit, hac tamen lege ut Praepositus nonnisi ex Professoribus, Capellani vero, vel ex Professoribus, vel nonnisi ex civibus Romanis seligerentur. Hos a Reformatoribus selectos jussit a Rectore Gymnasii probandos, ac in accepto munere instituendos. Praepositum Romanae Academiae iis praerogativis ornavit omnibus,quibus ceteri Clerici in dignitate ecclesiastica constituti, atque inter Canonicos Basilicae Vaticanae tanquam illorum unum jussit recenseri,sacrisque indutum vestibus in illorum numero sacra ministrare. Qua dignitate primum omnium bulla ipsa erectionis donavit Philippum Beroaldum, qui Pontifici erat a secretis, et humanas litteras in Gymnasio profitebatur. »

Praeterea, alterius Accademiae Romanae, illius scilicet quae, a Pomponio Laeto fundata, tempore Leonis X[i] Academia Corytiana nominabatur, fuit Beroaldus junior. Qua ratione inscribitur in indice qui in Chartis Strotianis invenitur, et cui titulus : « Corytianae Academiae fato functi qui sub Leone floruerunt. » Inter 72 homines qui in hoc indice annumerantur, Beroaldus quintum locum obtinet (2).

Duobus abhinc annis, mortuo Thoma Ingheramo, cognomine Phaedro, viro mirae doctrinae et integrae vitae, Leo X[us] Beroaldum uno *Brevi* « ad curam privilegiorum S. R. E. quae in Arce Sancti Angeli reposita erant », altero autem « ad Bibliothecarii Palatini vices implendas » vo-

(1) Bulla « Quam omnibus » in J. Carafae *De Gymnasio Romano* (1751) pp. 201-202 ; 589-594. Insuper vide pp.146 et seq. ; lib. II, p. 308 ; Fantuzzi, *Gli scrittori Bolognesi*, II. 137.

(2) Florentiae, Archivio di Stato ; *Carte Strozziane*, fasc. 353, f. 16[v]. De Corytiana Academia cf. J. Paquier, *Jérôme Aléandre* (Paris, 1899, in-8), livre III, ch. II.

cavit (5, 18 sept. 1516). Prius *Breve* retulerunt Assemanii, quod quidem exactius refert Eugenius Müntz, et de altero mentionem facit secundum *minutas originales* Archivii Vaticani. Sed jam saeculo elapso prius eorum inter epistolas Sadoleti, et utrumque a Fantuccio typis mandatum erat. Quae *Brevia*, ut perbelle annotavit Victorius Cian, ostendunt Leonem X fortunatis diebus eos secum fuisse recordatum quibus, cum tempora nubila essent, sociis fidelibus usus erat : « Non ad tuam, inquit, vel alicujus pro te nobis oblatae petitionis instantiam ... te scriniarium nostrum deputamus » (1).

Aliqua ad hoc Bibliothecarii munus pertinentia, et adhuc inedita, inveniuntur in duobus codicibus Bibliothecae Vaticanae, codice scilicet 3726 et codice 3966.

(1) Vittorio Cian, in *Giornale storico della Letteratura italiana*, IX, p. 451. — De his quae ad Beroaldum Bibliothecae Vaticanae præfectum pertinent cf. A. Roccha, *Bibliotheca Vaticana* (1591), p. 55; G. Bianchini, *Dei Gran Duchi di Toscana* (1741), Proemio, p. XXI; J. Sadoleti *Epistolae Leonis X[i]...nomine scriptae* (Romae, 1759), p. 195, 197; Assemani, *Bibliotheca vaticana mss. Orient.* 1, p. LXI (Praefatio generalis); Tiraboschi, *Storia della Letteratura italinia*. T. VIII, P. I, p. 200; Ginguené, *Histoire de la littérature italienne*, VII, 184 et suiv.; E. Müntz, *La Bibliothèque du Vatican au XVI[e] siècle* (Paris, 1886, in-18), p. 29. Priore Brevi, die scilicet 5[a] septembris dato, ad Scrinarium Arcis Divi Angeli, altero autem, die 18[a] septembris dato, ad Bibliothecam Palatinam seu Vaticanam custodiendam Beroaldus assumptus est. Illud enim scrinarium res alia erat ac Bibliotheca Palatina : « Dudum Archivum et Bibliotheca amico sociata foedere, uno in loco constiterant, quamvis inter se distincta, et unius tantum concredita fidei. Inde factum est ut Archivum et Bibliotheca communi quandoque vocabulo vulgo appellarentur, quamvis ad unum ab alia discernendum, quod nunc Archivum dicimus, appellaretur *Bibliotheca secreta*, non a secretiori vel penitiori loco in quo Scripturae et Regesta servabantur, sed quod a notitia et oculis penitus esset secreta vulgi; altera vero *Bibliotheca* simpliciter vel *Bibliotheca publica* diceretur, quod omnibus ad eam pateret aditus ». *Regestum Clementis papae V[i]* (Romae, 1885, in-fol.), T. I, p. XLVIII. Ex his verbis insuper eruitur hoc tempore eumdem cum Bibliothecae Vaticanae tum scrinario Arci Divi Angeli praefuisse. Quae omnia clarius etiam constant ex iis quae leguntur apud P. Fabre, *Note sur les Archives du Château Saint-Ange* in *Mélanges d'archéologie et d'histoire publiés par l'École française de Rome* (1893), p. 4.

« Romae. — MDXIV. Auctor hujus libri volumen hoc Leoni X Pontifici Max. obtulit, cui ego Philippus Beroaldus junior Bibliothecarius in Bibliotheca parva Pontificia locum dedi. » (Vat. 3726 (1): Francisci Sirigatti *de ortu et occasu imaginum caelestium*; — f. 1r).

21 januarii 1518: Ego Philippus Beroaldus bibliothecarius accomodavi praefatum librum (Registrum Innocentii III) R^mo^ Cardinali Joanni Cavallionensi de mandato Sanctissimi D. N. Leonis papae X facto mihi vivae vocis oraculo. — Ph. Ber. biblio^s^. (Vat. 3966 f. 49v).

28 (*sic*) 1518: « Ego Jacobus familiaris D. Philippi Beroaldi praefecti Bibliothecae habui nomine praefati Damasum de Gestis Summorum Pontificum ex pergameno in rubro. Dicit se daturum commodo R^mo^ card. Trivultio ». — « Ita est. Ego Ja. fam. ejusdem. » (Vat. 3966, f. 49v).

25 Augustii 1518: « Ego Jacobus familiaris D. Philippi habui a custodibus bibliothecae tractatum Cameracen. cum multis aliis contra auctoritatem papae ». — « Ita est. Ego Jacobus familiaris ejusdem. »

« Eodem die, idem Jacobus familiaris D. Philippi Bibliothecarii habuit librum de potestate Papae et Concilii editum per D. Petrum de Luna ». « Ita est Ego Jac. famil. ejusdem. »

« Restituit mihi fratri Zenobio Acciaiolo biblioth^o^ apostolico. Die 17 aprilis 1519. » (Vat. 3966. f. 49v).

Atque haec sola, exigua admodum, possumus in medium proferre, ut indicetur quo vitæ curriculo usus sit noster Beroaldus, et quibus, cum viveret, officiis et muneribus perfunctus fuerit. Plura quidem, quamvis pauca ipsa, detegimus unde concludi queat quis et qualis fuerit ipse homo, scilicet in quas doctrinas et disciplinas fuerit propensior, qua natura et indole praeditus, qua animi consuetudine imbutus, cum quibus viris aut discipulis conjunxerit amicitiam.

Saeculo XV° et XVI° incipiente, periti litterarum viri toti erant in antiquis colendis. Attamen Philippus Be-

(1) Non autem 3727, ut perperam ait Fantuccius, *op. cit.*, II, 139, 145.

roaldus non semel affirmavit antiquis non nimis tribuendum esse, ita ut, credo equidem, in Gallia saeculo sequenti inter eos qui recentioribus favebant annumerandus fuisset. In oratione quadam, quam discipulis circumstantibus, anno incipiente, habuit, asserit a multis perperam dici praesens aevum aliis saeclis esse pejus; omni enim aetate rem istiusmodi fuisse dictam ab hominibus tristiore et severiore ingenio affectis, inter quos Juvenalem nominat, cui tamen multas laudes tribuit « quem, inquit, hoc anno explanaturi sumus. (1) »

Idem prope habet in litteris ad Julium Cardinalem Mediceum : « Non sum, inquit, tam iniquus judex ut nostrorum temporum hominibus excellentibus nocere velim quod vivant ; diversus certe ab illis qui ut emunctae naris homines credantur, et judicii praeter caeteros exquisiti, recentiores ita fastidiunt ut, ne causa quidem cognita, sed eo solo quod vivant, praejudicio condemnent (2). »

Nihilominus Beroaldus noster antiquos cum latinos tum graecos apprime callebat et summo amore prosequebatur. Itaque propter exquisitam eam doctrinam, quam et apud familiares et inter discipulos et in scriptis suis ostendit, multum fuit cum ab aequalibus tum a posteris laudatus. Cujus rei testimonia jam non pauca retulimus, multaque alia, currente narratione, reperientur; inter quae prae ceteris eminent ea ab Erasmo et Bocchio de sua Ciceroniana ratione dicta. Erasmus Philippum nostrum in *Ciceronianorum catalogum* haud aegre dicit esse recipiendum (3). Similiter, Achille Bocchio teste, Beroaldus Ciceronem felici imitatione prosecutus est.

Cum forte Quercenti superbiens nimis
Nuper Milo insultaret Heroi, suum et
Dulcis fluentem lacteo eloquentiae
Torrente saepius citaret Tullium,

(1) Florentiae, Bibliotheca Riccardiana, ms. 914, f. 263-267.
(2) Bibliotheca Vaticana, ms. vat. 5809, f. 1r.
(3) Tolosae (1621), p. 71 ; Lugduni Batavorum (1703-1706), I, col. 1010 B.

Isthaec, Philippe, scripta Delius tua
Miratus insit : cedat ipse jam Milo
En Tullium Francisce natus es tuum (1).

Immo, non solum Beroaldus antiquos imprimisque Ciceronem incredibili aemulatione et imitatione prosecutus est, sed antiquarum rerum amore ita refertus imbutusque apparet ut ejus opera videantur res christianas minime redolere. Quod quidem fatendum est de omnibus aut saltem plerisque hujus aetatis scriptoribus, nempe Machiavello, Guicciardino, Bembo aliisque multis, qui et rebus et moribus antiquis se ultra modum deditos ostenderunt ; quam vero in reprehensionem Philippus noster ut nemo magis incurrit (2). Vide enim, ut exemplum proferam, illud carmen quod *Ad Virginem Deiparam* scripsit ; falsas antiqui Olympi fabulas redolet nimium, et vix aliquem in Deiparam amorem spirat (3). Aliis in carminibus amores et vinum saepius canit. Cum sint « funera acerba clarorumque hominum atque bonorum », cum Gloria nihil sit nisi vanus fumus quo nullo modo delectantur illi heroes quibus impartitur, vult ipse vitae indulgere. (4) Alibi ad Augustinum Chisium scribit surridens de pulcherrimis Farnesinae domus picturis, quas tunc Raphael Sanctius ejusque alumni pingebant :

Nec te crede meum pascere nobili
Pictura stomachum... (5)

Attamen, quamvis jocosos istiusmodi versus effuderit, etsi, ex narratiuncula a Castiliono relata, videtur Beroal-

(1) *Carmina illustrium Poetarum Italorum* (Florentiæ, 1719-1726), II, p. 345. Quorum quidem versuum unum aut alterum fatemur aegre intelligi posse. Eos fideliter retulimus ; sed fortassis liber ipse mendosus est.
(2) P. de Nolhac, *Érasme en Italie* (Paris, 1898, 2ª ed. in-8), p. 80.
(3) *Carm.* lib. II, 9.
(4) *Carm.* I, 19.
(5) *Carm* II, 11.

dus hilaris ingenii quandoque fuisse (1), non possum dubitare quin quadam tristitia Beroaldus noster fuerit saepissime affectus. Quod et ex aliis (2), et praesertim ex iis versibus apparet quos in Seraphini Aquilanei mortem scripsit :

> O Genus humanum miserabile ; nascimur heu heu
> Non ad delicias, sed magis ad lacrymas (3).

Indole miti lenique fuit noster, cujus mores « suavissimos optimosque fuisse » affirmat Dominicus Laelius (4). Aliquoties, fateor, in suis versibus in quosdam invehitur, sed plerumque in malos poetas (5). Neque tamen ignoro quam duris verbis cardinalem Adrianum Castellensem Cornetanum insequatur (6). Quod quidem eo magis mirandum est quod cum cardinale illo fuerat primum arctiore vinculo conjunctus, ita ut ejus domum fecisset suam (7). Propter quam vero causam tanta amicitia tantam in iram conversa est? Nescio prorsus. Sed quamvis haec in medium proferantur necesse sit, et tota nostri vita et ejus aequaliumque scriptis demonstratur Beroaldum juniorem fuisse leni moderatoque indole praeditum. Quae igitur tristia ultimis annis ei acciderunt (8), sunt invidiae quorumdam in ejus fortunam, non propriae indoli tribuenda.

Quamvis autem doctus multisque dotibus Beroaldus junior praeditus esset, vitam admodum solutam duxit. Fuit unus ex Imperiae (9) amantibus. In libro primo suorum

(1) Castiglione, *Il Corteggiano* (Firenze, 1894, in-8), p. 205.

(2) *Carm.* I, 19, cet. hujusmodi.

(3) *Epigr.* 47.

(4) *Carm. libri III*, f. 3r (Praefatio Dominici Laelii).

(5) Cf., inter alia, *Epigr.* 41, 42 : Baraballis. (De Baraballo Gaetano vide Burckhardt, *La civilisation en Italie au temps de la Renaissance* (trad. Schmitt, Paris, 1885, 2 vol. in-8), I, p. 197) ; 50 : In Fernum.

(6) *Epigr.* 30, 38.

(7) Cf., supra, p. 13.

(8) Cf., infra, p. 28.

(9) De qua cf., infra, cap. .

Carminum, Dialogum inter se et Imperiam, Horatiano more, inducit :

Tandem ad me, Imperia, ut pollicita es, venis?
Quem longa excruciasti miserum mora.
Quam valde timui verba mihi data
Credens te similem tui (1).

Ex aliis ejusdem odae versibus apparet a Beroaldo Sadoletum accusatum esse (sed falso fortassis) quasi apud Imperiam ejus rivalem.

Loquitur etiam Beroaldus de quadam amica quae habitabat in monte Caelio.

Pro te per juga Caelii
Qui nocte atque die vagor (2)

Insuper, multas amicas Beroaldus habuit, si tamen versibus ejus fidem facimus. Ibi Albinam, Luciam, Violam, Bonam, omnes fortasse meretrices, simul cum praedicta Imperia inducit (3); alibi loquitur de Prudentia Bononiensi (4), de Glycere (5), de Cesarilla (6), de Merimna (7), de Julia (8), et etiam de aliis.

Ceterum Beroaldus noster clericus quidem fuit, sed nunquam sacerdotio auctus (9) Nunquam duxit uxorem, et proinde errat Mazzuchellius cum scribit Vincentium Beroaldum fuisse nostri Philippi filium (10).

(1) *Carm.* I, 22.
(2) *Carm.* I, 2.
(3) *Carm.* I, 16. Cf., insuper, I, 10.
(4) *Carm.* II, 13.
(5) *Carm.* II, 14, 17.
(6) *Epigr.* 7, 17, 20, 23.
(7) *Epigr.* 9.
(8) *Epigr.* 19.
(9) Fantuzzi, *op. cit.*, p. 140
(10) *Op. cit.*, T. II, P. II, p. 1021.

Beroaldum Pierius Valerianus (in suo ad nostrum carmine) objurgat quod solitariam nimis vitam agat (1) Etsi vitam ducebat solitariam, quibusdam tamen non minimi pretii amicis utebatur Beroaldus. Praeter eos quos supra nominavimus (2), amicum habuit Joannem Franciscum Roboreum Taurini praesulem, ad quem ultimum secundi sui libri Carmen scripsit (3). Sed uni inter omnes Joanni Cardinali Mediceo, qui mox fuit clarissimus Leo X[us], arctissimo amicitiae vinculo se adjunxit (4). In prima trium epistolarum Bembi ad Beroaldum scriptarum quas hodie possidemus Bembus Beroaldo dicit : « Johannes Medices cardinalis tuus. » (5) Immo a Paulo Jovio (6) et Orlando (7) « intimus familiaris » Leonis papae X vocatur.

Omnes quidem Medices Beroaldus videtur summo amore fuisse prosecutus. In epistola, adhuc inedita, ad cardinalem Julium Mediceum, in qua laudat versus Guidi Posthumi, sic scribit : « Ostendit mihi nuper poema quoddam suum Posthumus Pisaurensis, quod tum per se mihi summae fuit voluptati, tum quod Amplitudini Tuae vidi illud consecratum. Nam quum jampridem quantulumcumque in me ingenii est familiae vestrae dedicaverim, Medices in ore semper habuerim, eorum virtutes fuerim admiratus, non possum non summopere laetari cum hujus propositi et judicii mei aemulos video, a

(1) Pierii Valeriani *Hexametri, odae et epigrammata* (Venetiis, 1550, apud Gabrielem Jolitum), f. 68 : Ad Philippum Beroaldum, ut amicitiam ineat cum Jo. Franc. Roboreo, Pontificio Arcis Aeliae praefecto Iterum typis mandatum in : *Carmina illustrium poetarum italorum* (Florentiae, 1719-1726), X, p. 90.

(2) Cf., supra, p. 13.

(3) *Carm.* II, 11. — Valeriani igitur hortantis (*Op. cit.*, f. 68) ut sibi Joannem Franciscum conciliaret verba non aspernatus fuerat Beroaldus.

(4) Cf , supra, p. 14.

(5) Bembi *Op.*, IV, 189 (id. Jan. 1505).

(6) P. Jovii, *Elogia* (Basileae, 1577, in-fol), p. 65.

(7) Orlandi, *Notizie degli scrittori bolognesi* (1714), p. 113.

quibus eloquentia et eruditione vinci me facile patior, modo in amando vos et colendo primas mihi concedant (1) ».

Alio in loco, haec e pectore effundit :

Percussit haec vis et Medices meos,
Quorum parentes tot bona civibus
Tot templa donavere divis (2).

Tandem, in *Brevi*, quo anno 1530 permisit Clemens VII ut poemata Beroaldina excuderentur, haec legimus : «... Beroaldi Junioris viri dum vixit, nobis et fe. re. Leoni pp. X praedecessori nostro in cujus familiaritate et benivolentia diutissime versatus est, ob ingenium excellens ac lepidum, exactamque in litteris humanioribus doctrinam valde grati et probati... (3) »

Videtur etiam Leo X tentasse ut Beroaldum ad mores honestiores adduceret. Poetae enim, ut opinor, querenti se, etsi decem jam annos diligentissimam operam Leoni daret, in paupertate tamen relinqui (4), Pontifex dixerat necesse esse primum ejus mores mutarentur in melius, sed Beroaldus non dubitavit respondere :

Et quanquam venerer te, Leo maxime,
Ac sperem auspice te divitias mihi,
Non suadebis Amores
Mutem ut divitiis meos (5).

Quae quidem quamvis ita sint, affirmat Lucas Gauricus Beroaldum semper fuisse Pontifici gratum acceptumque (6).

Inter tot doctos et litteratos viros quibuscum amicitiam habuit Beroaldus, insignem locum tenebat illustris

(1) Ms. Vat. lat. 5809, f. 1r.
(2) *Carm.* II, 7.
(3) *Carm. libri III* (Initio).
(4) *Carm.* II, 14.
(5) *Carm.* III, 2.
(6) L. Gauricus, *op. cit.*, II, 1636.

ille Petrus Bembus, cujus ad Beroaldum tres epistolas habemus (1). Quarum in prima (Venetiis, idib. januariis 1505) videmus Bembum, cum antea amico suo scripsisset, ab eoque tulisset responsum, nunc novae Beroaldi epistolae respondere. Amicum objurgat quod tam raro scripserit, moxque de Beroaldo seniore jam vita functo locutus, mortuum illum clarissimum dicit in juniore feliciter reviviscere, qua de re quidem Bembus ipse gaudet; additque quanquam Bononienses locum senioris obtulerint juniori, eum recte facturum si Romae maneat. Tandem Bembum piget Romae non esse, amicoque suo gratias agit ob poemata sibi missa « culta medius fidius, lenia, dulcia, numerosa, erudita, praesertimque illa Trivultiana. »

Secunda in epistola (Venetiis, III. non. maias 1506), litteras Beroaldi cum ejus carmine de Laocoontis signo recepisse se testatur, quae libentissime legit. Quo tempore ea recepit, Vicetini de conducendo publice rhetore cogitabant; perlectis autem et epistola et versibus Beroaldi, legem tulerant ut Beroaldus honestissimo stipendio magister conduceretur. « Quam rem ideo tibi scripsi, addit Bembus, ut scires mihi magnae curae dignitatem tuam, quam quidem et fieri ampliorem in dies cupio, et esse jam sentio amplissimam. »

Tertia tandem in epistola (Urbini, XVI. Kal. januar. 1507) legimus Beroaldum, Bononia Romam redeuntem, non Urbinum (quod pollicitus fuerat) adiisse, idque « militum timoris causa. » Bembus eum deridet istius infirmi animi atque omnia pertimescentis, dicitque cum a viris tum a mulieribus quae aulae Urbinati aderant Beroaldum fuisse derisum; adjungitque « versiculos de Nape sibi valde probari ». (2) Quam tandem epistolam cum ab-

(1) Bembi *Op.*, IV, p. 188-190.

(2) Illi versiculi sicut alii de Laocoonte, de quibus infra, inveniuntur inter *Carmina et Epigrammata* anno 1530 edita (*Epigr.* 28, 33). — De ea tertia epistola cf. insuper Castiglione, *Il Corteggiano* Florentiae, 1894, in-8) p. 206.

solvit (e qua ni fallor, concludi potest quam familiaris fuerit noster iis qui Urbinate in aula eminebant), Bembus amicum precatur ut amicos salutet, amicos sane et Bembi et ipsius Beroaldi : « Tu meis verbis saluta Phaedrum, Sadoletum, Camillum ; Bibbienae item multam salutem qui plane unus sapere praeter omnes homines mihi videtur, si tecum dormire non vult, quemadmodum scribis. »

Insuper Philippus Beroaldus « minor » loquens a Bembo inducitur cum Sigismundo Fulginate, Sadoleto et Petro Bembo in Petri Bembi *de Guido Ubaldo Feretrio deque Elisabetha Gonzagia Urbini ducibus libro seu dialogo* (1).

Tandem, eodem tempore, haud semel de Beroaldo loquebatur Bembus in epistolis cum ad Sadoletum, tum praesertim ad Bernardum Bibbienam scriptis. Quos versus Jacobus Sadoletus de Laocoonte scripserat, auctori ita gratulatur Bembus (Venetiis, III. non. maias 1506) : « De Laocoonte legi centies carmen tuum. Equidem cum Beroaldo valde sentio : non jam enim Romam cogito, ut Laocoontem videam, cum habeam tuos versus » (2). Anno sequenti, trinis vicibus de Beroaldo cum Bernardo Bibbiena agebat (3).

Inter epistolas ad Reuchlinium duae a Beroaldo scriptae leguntur (4). In priore (Romae, VIII. kal. junias 1517 scripta) « saepe antea cogitavi, inquit, litteras ad te dare, quibus amicitiam inter nos fulciremus, ita enim amor in omnes studiosos meus, ita virtutes suadebant tuae. » In eadem epistola Beroaldus dicit se favisse Reuchlinio, « in causa illa confragosa. » In posteriore (Romae, die 5ª dec. 1517 data), sicut et in priore, eum certiorem facit de bono

(1) Bembi *Opera*, IV, p. 273-302.

(2) *Item*, III, p. 178.

(3) *Item*, III, p. 194-196, in editione vero anno 1743 data, p. 16, 18, 22. (Urbini, 13 nov., 2 dec., 16 dec. 1507).

(4) Cf., infra, cap. II.

in eum Pontificis animo. Nomine Leonis X[i] et suo precatur Reuchlinium ut Joannem Heitmers, « commissarium Pontificis destinatum ad Germaniae partes pro libris antiquis qui desiderantur, consilio juvare, monitionibus, indagine, authoritate ei non deesse velit. »

Alios Beroaldi amicos cum ex ipsius, tum ex aliorum scriptis novimus. Eum cum Francisco Maria Molza junctum fuisse scribit Serássius (1). Ei in scripta ad eum epistola gratias agit Joannes Antonius Flaminius quod « consilio et opera Beroaldi filius ejus adjutus sit (2). » Joanni Antonio adjungendus est Marcus Antonius Flaminius, ut ex ejus vita a Mancurtio descripta constat (3).

E carmine quo Valerianus Beroaldum hortatur ad Joannem Franciscum Roboreum colendum, deducitur hunc Valerianum fuisse unum ex Beroaldi amicis (4). Quos inter annumerandi etiam tum Joannes Baptista Palmierius (5), tum Trajanus Accursius, cui hendecasyllabum direxit in quo legitur utrumque condiscipulos Bononiae fuisse Beroaldi senioris (6), tum Antonius Laelius, cujus in manus carmina Beroaldi manuscripta venerunt, tum ejus frater Dominicus qui ea carmina edidit (7).

Insuper alios amicos Beroaldo fuisse colligimus ex ipsis nominibus quae Carminibus ejus praescribuntur; sic, ut exemplum afferam, ad Cardinalem Augustum Trivultium multas odas scripsit (8), cui etiam Dominicus Laelius totum opus consecravit « quod et Beroaldus ipse

(1) Serassii *Vita Molzae*, in *Poesie di Molza* (1808), p. 26.

(2) J. Ant. Flaminii *Epistolae familiares* (1744), p. 139. (lib. III, ep. 19.)

(3) Illa vita adjuncta est Marci Ant. Flaminii... *Carminibus* (Patavii, 1743, in-8).

(4) Supra, p. 22.

(5) Antonii Codri Urcei *Opera* (*Praefatio Beroaldi*).

(6) Infra, cap. VI.

(7) *Carminum libri III*, f. 2.

(8) *Carm.* I, 1, 11, 15; II, 13; *Epigr.* 2.

si vixisset, erat facturus » (1); sic versus scribit ad Antonium Laelium (2), et Caesarem Podocatharum Cyprium (3), et Herculem Rangonem (4), et Joannem Cottam (5), et Federicum Gonzagam adolescentem (6), et Angelum Colotium (7), et Augustinum Chisium (8), et Joannem Matthaeum Gibertum (9), et Thomam Phaedrum (10), et Marcum Musurum (11), et alios quos in medium proferam necesse non est.

Tandem quidam aequales de Beroaldo sunt locuti. Die 27ª julii 1516 eum refert Hieronymus Aleander fuisse in domo Corytii « sodalibus Judaeco, Colotio, Ulysse Fanensi » et Hieronymo Aleandro (12). Quidam Joannes Bissius, presbyter Mediolanensis, librum facetiarum ad Laurentium Medicem cum mittit : « Philippus, ait, Beroaldus quis sim litteris te certiorem reddere poterit (13). »

Sed de his omnibus satis superque.

Etsi tot amicis cinctus, tanta doctrina tantoque ingenio praeditus fuit, noster Beroaldus haud felicem vitam egit. Quod cum ex aliis, tum ex his versibus apparet :

(1) *Carm.* f. 2ᵛ.
(2) *Carm.* I, 4.
(3) *Carm.* I, 12.
(4) *Carm.* I, 18.
(5) *Carm.* I, 19.
(6) *Carm.* II, 3.
(7) *Carm.* II, 6.
(8) *Carm.* II, 11.
(9) *Carm.* III, 1.
(10) *Carm.* III, 5.
(11) *Carm.* III, 9.
(12) H. Omont, *Journal autobiographique du cardinal Jérôme Aléandre* (1895) p. 17 ; extractus ex : *Notices et Extraits des mss. de la Bibl. Nat. et autres Bib.* T. XXXV, P. I.
(13) Bandini, *Catalogus cod. lat. Bibl. Laurentiae*, T. II, p. 777.

Nos Romae interea vita inamabili
Sursum atque deorsum modo servuli
Discurremus, inepto
Detenti et sterili ambitu (1).

Beroaldum infelicem fuisse affirmatur etiam et explicatur his verbis a Valeriano : « Hujus (Camilli scilicet Paleotti) autem affinis Philippus Beroaldus junior insigne et ipse aliquandiu rexerat ; Romae inde publico conductus salario professus est. Mox a Joanne Medico cardinali jam tum Aemiliae et copiarum Pontificiarum legato admissus in amicitiam, illi a secretis fuit. Postea vero quam is ad Pontificatum ascendit, Phaedro mox vita functo, in Bibliothecae Palatinae praefectura illi suffectus est. In reliquis ornamentis et commodis (2) repulsam passus, despectuique propemodum habitus, vix victui necessaria pro antiquae familiaritatis dignitate adsequebatur, quo ex moerore quum desertum se atque abjectum existimaret, in rapidissimam febrem illapsus ad amicorum liberalitatem confugere coactus, brevi eo morbo curisque confectus interiit (3). »

Quae mors evenit die 30ª augusti 1518 (4).

(1) *Carm.* II, 2. Cf. insuper *Epigr.* 51 (ultimum) : « Ipse cum voles Leo... »

(2) Igitur conclusio illa Fantuccii valet : « Non consegui Filippo gli emolumenti che naturalmente, e per consuetudine alla stessa, dovevano tener dietro. » *Op. cit.*, II, p. 140.

(3) Eodem sensu de illa morte loquitur Nicéron. (*Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres*, XXV, p. 395).

(4) Equidem, de hac re alii aliter dixerunt. Caferrius in suo *Synthemate Vetustatis* (*Synthema vetustatis*, (Romae, 1667) p. 211) scribit Beroaldum obiisse anno 1521, 48 annos natum. Morerius dicit eum mortuum esse 28 annos natum (*Grand diction. hist.* (1733) II, p. 218). Ricciolio autem si fidem facis, necesse est credas Beroaldum in lucem fuisse editum die 7 novembris 1453, et e vita egressum anno 1510. (Ricciolius, *Chronologia reformata*, Bononiae 1669, III, p. 272). Ceteros errores, scilicet Niceronis, Balieti et Orlandi, videas apud Mazzu-

Valde verisimile est eum in Templo Sancti Petri sepultum fuisse; cujus sepulchrum Petrus Bembus, qui tunc *a secretis* Leonis pontificis erat, his versibus ornavit :

Felsina te genuit, colles rapuere Quirini,
  Longum audita quibus musa diserta tua est.
Illa dedit rerum domino placuisse Leoni,
  Thebanos latio dum canis ore modos.
Unanimes raptum ante diem flevere sodales,
  Nec Decimo sanctae non maduere genae.
Quae pietas, Beroalde, fuit tua, credere verum est
  Carmina nunc coeli te canere ad citharam (1).

In honorem duorum Beroaldorum Hieronymus Casius illos versus fecit :

Dui Filippi Beroaldi una sol petra
Chiude, e non chiude la immortal sua fama :
Chi humanitade, o poesia brama
Da le fatiche lor la cerca, e impetra (2).

chellium, T. II, P. II, 1018, 1019, annot. 23, et Fantuccium, *Notizie degli scrittori Bolognesi*, II, 141. Sed quamvis haec tam diversa affirmentur, minime dubitare possumus quin die et anno praedictis Beroaldus e vita migraverit, annos scilicet natus 45, menses decem, dies triginta. Illud infertur cum e multis aliis locis, tum e codice Vaticano 3966 (f. 128[r]) ubi in Indice Bibliothecariorum Bibliothecae Palatinae, qui annos 1475-1519 comprehendit et dum Aleander Bibliothecae praefectus erat confectus est (quae quidem res ex eo concludi potest quod Aleandri mortem codex ille non refert) sic legitur : « Thomas Ingeramius Phedrus : † 5 sept. 1516. — Philippus Beroaldus junior : 1516 — 30 augusti 1518 ».

(1) Petri Bembi *Carminum libellus* (Venetiis, 1552), p. 48 ; Bembi *Opera* (1729), III, 353.

(2) Girolamo Casio de Medici, *Bellona, epitafi d'amore e di virtù*... p. 34 ; G. N. P. Alidosi, *I dottori Bolognesi* (1623), p. 59.

CAPUT II

INDEX OPERUM

PHILIPPI BEROALDI JUNIORIS

I

Antonii Codri Urcei *Orationes, Epistolae, Silvae*, etc.

Ad calcem leguntur haec verba : *Volumen eruditissimi viri Codri...* etc. *impressum Bononiae per Joannem Antonium Platonidem Benedictorum Bibliopolam, nec non civem Bononiensem, sub anno Domini MCCCCCII. die vero VII Martii, Joanne Bentivolo Patre Patriae Rempublicam administrante.* In-fol. Romae, *Bib. Casan.*

Dividitur illud volumen in duas partes, quarum prior opera continet quae soluta oratione scribuntur, Orationes scilicet et Epistolas, posterior versus complectitur, Silvas scilicet, Elegias et Epigrammata. Ea quidem opera edidit noster Beroaldus, ut apparet ex duabus epistolis dedicatoriis quarum prior in fronte prioris partis *Antonio Galeatio Bentivolo Protonotario Apostolico suo*, posterior, in fronte posterioris partis, *Hermeti Bentivolo principi clarissimo* scribitur. In hoc libro edendo, Beroaldus adjutus est a Bartholomaeo Blanchino et Joanne de Pino.

II

Isocratis *ad Demonicum oratio praeceptiva e graeco in latinum versa per Philippum Beroaldum Juniorem.*

Benedictus Hectoris Bononiensis Bononiae impressit anno DII,

nonis aprilibus. In-4°. Romae, *Bibliotheca Nation.* 70. 7. B. 5 ; *Bib. Casan.* AB. XII. 26 (1).

Quod quidem opus J. Albertus Fabricius oblitus est citare in Volumine I° suae *Graecae Bibliothecae* (2).

III

Philippi Beroaldi junioris *pro Francisco Ruere Urbinatum Duce Defensio.*

Haec Oratio manuscripta invenitur Romae in Bibliotheca Vallicelliana sub littera G. 61. Volumen est pergamena alba coopertum. Primo inveniuntur 8 folia alba, quorum in primo legitur « G. 61 », in secundo titulus supra relatus, in ultimo depingitur flavo colore quercus Roboreorum cum his verbis inter ramos scriptis : *Philippi Philippina.* Deinde sequuntur 28 folia scripta et in fine alia 8 folia alba. Ad calcem foliorum hic et illic quaedam annotantur, posteriore manu scripta. In-8.

In indice hujus Bibliothecae anno 1749 exarato hoc opusculum dicitur *autographum.*

(1) De hac editione cf. insuper Panzer, *Annales typographici*, IX, p. 410, n° 66. Carolus Malagola (*op. cit.*, p. 82) vidit alteram hujus translationis editionem, in-4°, sine loco et anno, et insuper dicere videtur opus illud typis mandatum esse ultimis XV[i] saeculi annis. Sed pro comperto habendum est hanc translationem ante primis XVI[i] saeculi annis typis non mandatam fuisse, illudque valde verisimiliter anno 1502 evenisse, dicente Joanne Pino in *Vita Philippi Beroaldi senioris* : « Beroaldus (junior) cum vario jam ac promiscuo ingenii fetu edito, tum et oratiuncula quadam Isocratis *paulo ante biennium* eloquentissime versa (clarescit). » (*Clarissimi et illustrissimi viri Philippi Beroaldi Bononiensis vita* per Joannem Pinum Tolosanum. De qua cf., supra, p. 8). Beroaldus porro senior die 17[a] julii 1505 vita cessit, ejusque vita, a Joanne Pino scripta, excusa est *Bononiae per Benedictum Hectoreum anno MDV, die XXII Septembris.*

(2) P. 901-902.

IV

Fol. 1r. P. Cornelii Taciti *libri quinque noviter inventi, atque cum reliquis ejus operibus editi.* — Ne quis intra decennium presens opus possit alicubi impune imprimere aut impressum vendere, gravissimis edictis cautum est.

Fol. 2r-3r. Philippus Beroaldus junior Academiae Romanae Praepositus Leoni X. Pont. Max. sal. *Quidnam esse causae dicam Pont. Max. quod egregia animorum monumenta..*

Fol. 3v. Philippus Beroaldus ad Lectorem. *Sed quoniam vetus Codex unde hunc ipsum describendum atque invulgandum curavi...*

Fol. 4r-73r. P. Cornelii Taciti *ab excessu divi Augusti Historiarum liber primus, — secundus, — tertius, — quartus, — quintus.* — Ad calcem libri quinti legitur: « P. Cor. Taciti liber quintus finit ad laudem omnipotentis Dei et Leonis X. Pont. Max. »

Fol. 73v-74v. *Adnotationes* et *Erratum.*

Quae 73um sequntur folia nullo numero notantur.

Franciscus Puteolanus Jacobo Antiquario ducali secretario Sal. *Maximis plurimisque rebus...*

P. Cornelii Taciti *ab excessu divi Augusti Historiarum liber undecimus,... — XXI. — De Situ, Moribus et Populis Germaniae libellus. — Dialogus an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant.*

Leo Papa X. Dilecto filio magistro Philippo Beroaldo juniori Academiae Romanae Praeposito, Notario et Familiari nostro. *Dilecte Fili, salutem et ap. ben. Inter cœteras curas...* Datum Romae... die XIIII novembris. M. D. XIIII. Pontificatus nostri anno secundo. Ja. Sadoletus.

Erratum. — *Registrum.* — P. Cornelii Taciti Equitis Ro. Historiarum libri quinque nuper in Germania inventi ac cum reliquis omnibus ejus operibus quae prius inveniebantur Romae impressi per magistrum Stephanum

Guillereti de Lothoringia (*sic*) Tullen. dioc. anno M.D.XV Kl. Martii, Leonis X. Pont. Max. anno secundo,

Scutum Leonis X. — Nomine Leonis X. Pont. Max. proposita sunt premia non mediocria his qui ad eum libros veteres neque hactenus editos attulerint.

Julii Agricolae vita per Cornelium Tacitum *ejus generum castissime composita.*

In-folio. Hoc porro volumen hodie rarissimum est. In nulla romanarum bibliothecarum, quanquam Romae est editum, hoc reperire potui. Exemplar autem unum inveni in Parisiensi nationali bibliotheca (inter reservatos J.298; cum veteri inscriptione J.657.—1.— Coll.Parm Soc. Jesu Bib[ae]). Pulcherrima rubra pelle vestitum et auro ornatum apprimeque servatum. — In marginibus plurimae leguntur manuscriptae adnotationes. — Pulcherrimis typis est liber excusus (1).

V

Fol. 1[r]. Philippi Beroaldi Bononiensis junioris *Carminum ad Augustum Trivultium cardinalem libri III. Ejusdem epigrammaton liber ad Livium Podocatharum Cyprium.*

Fol. 1[v]. Clemens papa VII, Universis et singulis presentes literas inspecturis salutem et apostolicam bene-

(1) De editione Beroaldina cf. Roscoe *Vita e Pontificato di Leone X* (ed. Bossi, Milano, 1817), IV,181; Gregorovius. *Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter* (1874, 2a ed.), VIII, p. 286; Teufel, *Geschichte der Römischen Litteratur*, p. 756; J. Burckhardt, *La Civilisation en Italie au temps de la Renaissance* (Trad. Schmitt, Paris, 1885, 2 vol. in-8), I, 277.

Errat Panzer (*Annales Typographici*, VIII, p. 255, n° 86; VIII, p. 256, n° 98) cum annumerat duas Tacitianas editiones a Beroaldo exaratas, unam die XIIII nov. 1514, alteram Kal. martii 1515. Prior dies est dies *Brevis* quod a Leone X° in Philippi Beroaldi gratiam scriptum editioni anni 1515 additum est.

Editio Beroaldina falso a Simlero inter Philippi Beroaldi senioris opera recensa est. *Bibliotheca instituta... a* Conrado Gesnero, *deinde... aucta per* Josiam Simlerum... *amplificata per* Johannem Jacobum Frisium. (Tiguri, 1583), p. 689.

dictionem. *Cum dilectus filius Dominicus Laelius...* Dat. Romae, apud sanctum Petrum, die XXIII septembris M. D. XXX. Pontificatus nostri anno septimo. Blosius.

Fol. 2[r]. A. Trivultio S. R. E. car. Principi amplissimo. D. Laelius. S. *Princeps amplissime. Cum ex foedissima diuturnaque Urbis nostrae direptione...* Ex Urbe, III. id. octobris M. D. XXX.

Fol. 3[v]. Philippi Beroaldi Bononiensis junioris *Carminum ad Augustum Trivultium cardinalem, liber primus, — secundus. — tertius. — Epigrammaton liber ad Livium Podocatharum Cyprium.*

Ad calcem operis : Imprimebat Romae Antonius Bladus Platyna anno Domini M. D. XXX. mense octobri.

Neque paginae, neque carmina aut epigrammata numero ullo designantur. Qui vero numeri in annotationibus meis indicantur, ii fuerunt mea industria indicati.

In-4°. Romae, *Bib. Casanat.* P. XII. 30. Parisiis *Bib. Mazarinea* 10.609. In nulla alia Parisiensi Bibliotheca id opus reperire potui. Merito igitur dicit Brunet (1) illud nunc rarissimum esse.

Quae autem jam retuli, ea sunt praecipua Philippi Beroaldi junioris opera. Hinc ad minora venimus.

VI

Quaedam poeticae Beroaldi compositiones aliae aliis in locis deprehenduntur.

1° Hendecasyllabi, *ad Trajanum Accursium* scripti, inveniuntur ad calcem operis Beroaldi senioris cui titulus : *Orationes M. Tullii Ciceronis per Ph. Beroaldum recognitae ac diligenter correctae.* — Bononiae per Benedictum Hectoris, idib. aprilis 1499. In-folio.

2° Alii hendecasyllabi ejusdem Beroaldi reperiuntur ad calcem (2) operis cui titulus : *C. Plinii Secundi Junioris*

(1) *Manuel du Libraire, I. 302.*

(2) Non in fronte, ut dicit Mazzuchellius, *op. cit.*, T. II, P. II, p. 1020.

epistolae per Philippum Beroaldum seniorem correctae. — Benedictus Hectoris Bononiensis Bononiae impressit anno MDII, XXIIII januarii.

3° Tres Strophas composuit in honorem Corytii.

Vobis Corytius maxima numina... (1)

(1) (Blossius Palladius) *Corytiana.* — Impressum Romae apud Ludovicum Vicentinum et Lautitium Perusinum, Mense Julio MDXX IIII. In-4. (Romae, *Bib. nation*; Parisiis, *Bib. nation. Inter reservatos* m Y c 703) De hoc libro cf. L. Geiger, *Vorträge und Versuche* (Dresden, Ehlermann, 1890, in-8), p. 63-87.

Iidem Beroaldini versus manuscripti reperiuntur in Codice Vaticano latino 9719 (*Corytiana*), p. 10, 143.

Alii Beroaldi versus, qui passim leguntur, omnes inter *Carmina et Epigrammata* (1530) impressi fuerunt, scilicet:

1° Vat. lat. 2836 (Ft. 329. *Poetarum carmina ac etiam fragmenta quorum plurima sunt anonyma*), f. 106ᵛ : Ph. Beroaldi Junioris, *De Squarciafico* (*Epigr* 32 : quos sic pono numeros ad librum *Carminum et Epigrammaton* anno 1530 excusum referunt); f. 126ᵛ : *De Hirundine et Rustico* (*Epigr*. 4).

2° Vat lat. 3351 (3351-3353 : *Epigrammata variorum auctorum*. Duo ultimi illorum codicum a Colotio compositi sunt), f. 147ᵛ : *Triumphus Cupidinis* (*Epig*. 26).

3° Vat. lat. 3352, f. 25-26 (ff. 1-113 : *Amatoria*) : leguntur *Epigr*. 1, 3, 7, 9, 12, 16, 17, 18, 19, 20, 23, 26, 29, 45 in libro *Carminum et Epigrammaton* excusa; — f. 114ʳ (ff. 114-272 : *Epitaphia*) : *Epigr*. 5, 10, 15, 40; — f. 279ʳ (ff. 273-279 : *Fortitudo*) : *Epigr*. 6; — f. 310ʳ (ff. 279 et seq. : *Genialia*) : *Epigr*. 25.

4° Vat. lat. 3353, f. 36 : *Epigr*. 4, 11.

5° Vat. lat. 7945 (*Miscellanea*), f. 8 : *Epigr*. 15.

6° Filoteo Achillini, *Collectanee per la morte di Serafino Aquilano* (1530) epit. 47 : *Elegia in mortem Seraphini Aquilanei* (*Epigr*. 47) Cf. etiam Fantuzzi, *op. cit.*, II, 144.

7° Pauli Jovii *Elogia virorum bellica virtute illustrium* (inter *Opera Omnia*, Basileae, 1596), lib. IV, p. 150 : novem versus in laudem cujusdam elephantis ab Emmanuele rege Portugalensi ad Leonem X missi. (*Epigr*. 40). Illos versus cum reliquo Joviano opere in italicam linguam Ludovicus Dominicus transtulit. (*Gli elogi d'huomini illustri, tradotti per* M. Lodovico Domenichi (Venetia, 1559), p. 346).

8° *Menagiana* (Amsterdam, 1716), IV, 150, 151; C. Malagola, *op. cit.* p. 186 : *Epigramma de Antonio Urceo Codro, ejusque in re philosophica de mortalitate animae sententia* (*Epigr*. 6). In opere anno 1530 edito, pro *Codre* legitur *Sexte*. Primus Obsopaeus (Anthologia, 1600; p. 305) *Codre* verbo *Sexte* substituit. Insuper secundum distichon abstulit, quod revera inutile est. Cf. *Menagiana*, IV, 150, 151.

VII

Beroaldi aliquae epistolae supersunt.

1° Tres epistolae familiares ad Aldum Manutium (1).

2° Duae epistolae dedicatoriae in Antonii Codri Urcei *Operibus* (2).

3° Epistola dedicatoria Constantio Bentivolo scripta, initio *Orationis ad Demonicum* (3).

4° Una epistola familiaris ad Faustum (4).

5° Una epistola ad Laurentium Medicem, lingua patria scripta, nomine Leonis X[i] (5).

6° Duae epistolae familiares ad Joannem Reuchlinium (6).

7° Epistola ad Julium cardinalem Medicem, de elegiis Guidi Posthumi (7).

Quae nunc referam opera Beroaldo fuerunt nullo jure attributa.

VIII

Varia Poemata, typis Wolff. Cachner, 1519. In-4°.

Hoc opus memorat Orlandius (8). Sed post Mazzuchellium dicam me ipsum nulla ejus libri vestigia invenisse,

(1) P. de Nolhac, *Les Correspondants d'Alde Manuce,* in *Studi e Documenti di storia e diritto* (Roma, 1887), p. 268-270. (18 jun. 1500 ; 8 mart. 1501 ; 15 nov. 1505 scriptae)

(2) Supra, p. 30. (anno 1502 scriptae.)

(3) Supra, p. 30.

(4) Vat. lat. 3351, f. 147ᵛ. « *Ne forte Fausti mei...* » 3 sept. 1505.

(5) C. Malagola, *op. cit.*, p. 292, 518 (29 jun. 1515).

(6) *Illustrium virorum epistolae Hebraicae, Graecae et Latinae ad Jo. Reuchlin Phorcensem* (Hagenoae, 1519, mense maio), f. C (VIII. Kal. jun. 1517 ; V dec. 1517).

(7) Vat. lat. 5809 (Guidi Posthumi Sylvestris *elegiarum libri duo*), f. 1ʳ. « *Ostendit mihi nuper...* ». Sine anno, sed cum ex una parte Julius anno 1513 cardinalis factus sit, et ex altera Beroaldus anno 1518 sit mortuus, haec epistola intra duos hos terminos continetur.

(8) Orlandi, *Notizie degli Scrittori Bolognesi e dell' opere loro stampate e manoscritte* (Bologna, 1714, in-4), p. 113.

et ne ejus quidem mentionem apud Maittarium, Panzerium et alios qui librorum antiquorum indices extruxerunt. Insuper, in epistola dedicatoria ad Augustum Trivultium, quam Dominicus Laelius *Carminibus et epigrammatis* Beroaldi praemisit, nullum ipse de hoc opere verbum facit. Tandem, cum Orlandius hunc Beroaldi librum a Draudio relatum esse dicat, Draudiani operis locum citatum legimus, sed in hoc loco nihil de Beroaldo invenimus (1).

IX

Aliquae poeticae compositiones Philippo Beroaldo juniori falso attributae sunt.

1° Epitaphium Roberti Sanseverinatis :

Nil queror o Superi lethum hoc, sic occidit Hector... (2).

2° Vir prudens.

Rebus in adversis vir prudens, atque secundis... (3).

(1) G. Draudius, *Bibiographia classica* (Francofurti, 1625, in-4), p. 1158 (si Orlandio credas). Similiter Jo. Antonius Bumaldus ab Orlandio (loco citato) et a G. V. Marchesio (*Notizie degli scrittori Bolognesi*, II, 144) citatus quasi hunc librum referret, nihil tale habet in suo opere *Minervalia Bononiensium civium anademata seu Bibliotheca Bononiensis* (Bononiae, 1641, in-24).

Infra videbimus (cap. VI) omnes a duobus saeculis scriptores, nullo prorsus jure, locutos esse de iis qui Beroaldi junioris carmina in gallicam linguam vertissent, ab uno primo scriptore in errorem inductos. Quod similiter hic accidisse videtur ; nam pro comperto habendum est hunc Poematum librum nunquam extitisse, sed a quodam historico, Orlandio verisimiliter, fictum esse.

(2) *Delitiae CC Italorum Poetarum* collectore Ranutio Gero (1608, in-8), I, 401; *Carmina illustrium poetarum italorum* (Florentiae, 1719-1726, in-8), p. 155-156. Ab Olao Borrichio falso Beroaldo attributum : Olai Borrichii *Dissert. acad. de Poetis* (Francofurti, 1683), p. 95.

(3 *Delitiae CC Italorum Poetarum* collectore Ranutio Gero (1608), I, 402; *Carmina illustrium poetarum italorum* (Florentiae, 1719-1726), II, p. 156-157. Ab Olao Borrichio (*opus modo citatum*) et Mazzuchellio (*Gli Scrittori d'Italia*, Brescia, 1753, in-4° T. II, P. II, p. 1020) falso Beroaldo attributum. Immo, cum primum Mazzuchellius *Virum prudentem* seniori assignasset (*op. cit.*, T. II, P. II, p. 1013), deinde, a Borrichio in in errorem inductus, juniori attribuit (T. II, P. II, p. 1020).

Sed cum hi tum illi versus sunt Beroaldi senioris, ibique valet quod dicit Balietus : « Versus utriusque indiscriminatim impressi sunt in volumine primo *Deliciarum poetarum italorum*, quasi unius ejusdem auctoris (1). » Quod quidem jam vivente Beroaldo juniore accidebat, id affirmante Longolio in sua *Defensione* adversus eos qui eum perduellionis reum esse volebant (5 Aug. 1519) (2).

3° Varii versus in versibus a J. M. Toscano et Ranutio Gero collectis (3). Sed apud priorem, Toscanum scilicet, nihil neque senioris, neque junioris Beroaldi invenias ; apud posteriorem, Philippi Beroaldi quidem haec quatuor reperiuntur poemata : *Osculum Panthiae* ; *Epitaphium Malatestae Carbonesii* ; *Epitaphium Roberti Sanctoseverinatis* ; *Vir prudens* (4) ; sed haec omnia sunt senioris, quippe quae jam sint in libro cui titulus : *Orationes et Carmina Beroaldi*, Bononiae anno 1502 typis mandato.

X

Principio cujusdam odae ad Philippum Beroaldum juniorem scriptae haec habet Marcus Antonius Flaminius.

Scribes Bentivoli fortia Principis
Tu facta, et Ligurem sanguine Julium
Gaudentem Latio, infestaque Galliae
    Nostris agmina finibus (5).

(1) Baillet, *Jugemens des sçavans* (Paris, 1722), IV, 319. Sed hoc in loco errat ipse Balietus cum in volumine primo *Deliciarum CC Italorum poetarum* nullus versus Philippi Beroaldi *junioris* inveniatur.

(2) D. Gnoli, *Un Giudizio di lesa Romanità sotto Leo X*, in *Nuova Antologia*, Ser. III, T. XXXII, p. 35.

(3) J. M Toscanus, *Carmina illustrium poetarum italorum* (Lutetiae, apud Aegidium Corbinum, 1577) ; *Delitiae CC Italorum poetarum*, collectore Ranutio Gero (1608). — Ita Mazzuchellius, *Op. cit.*, T. II, P. II, p. 1020.

(4) T. I, p. 398-403. Fantuccius igitur errat cum dicit (*op. cit.*, II, 144) in hoc opere neque senioris neque junioris versus inveniri.

(5) Marci Antonii, Joannis Antonii et Gabrielis Flaminiorum Forocorneliensium *Carmina* (Prati, 1861, in-8), p. 39.

Exhinc deducendum videtur nostro Beroaldo in animo fuisse diversa de Historia scribere. Quod vero, credo equidem, nunquam effecit ; nulla enim hujus rei vestigia remanent (1).

XI

Tandem diversa alia opera minoris momenti Beroaldo immerito attributa sunt. Fantuccius ei attribuit « Epistolas ad Caesarem Nappi, sive Nappaeum, mss. in bibliotheca Universitatis Bononiensis. » (2) Sed a seniore, non a juniore scriptae sunt eae epistolae, quod ex annis quibus scriptae sunt statim deducitur et e rebus quas continent apparet (3).

Dolfius vocat illum « philosophum insignem. » (4) Orlandius dicit illum fuisse primum inventorem « degli Archibusi a ruota in Bologna, nel 1521. » (5) Sed cum hunc annum 1521 indicat, Orlandius errat prorsus; unde, ut opinor, quod Beroaldo attribuit, videtur et illud esse falso attributum.

(1) Exinde Mancurtius, in editione a se facta versuum Flaminii (M. A. Flaminii... *Carmina*. Patavii, 1743, in-8) gratis nomini Beroaldi haec verba in indice adjunxit: Bononiensis, eruditissimus vir Julii II Pont. Max. et Bentivoli Principis gestorum scriptor. »

(2) *Op. cit.*, II, 144. Cum paulo ante (II, 125, 133) Fantuccius ipse Beroaldo seniori attribuat alia scripta in eodem codice contenta, exinde concludendum est ab eo in errorem inducto eas epistolas fuisse Beroaldo juniori attributas.

(3) Eae epistolae inveniuntur in codice LII, P. II, n° 1 Bibliothecae Universitatis Bononiensis; prior, f. 215v-216r. « *Post tuum hinc discessum...* » Bononiae, 4. Kal. maii 1482; posterior, f. 218rv : « *Longo intervallo...* » Bononiae, 6. non. junii 1482. In eodem codice invenitur responsum Nappaei ad priorem epistolam ; f. 216rv : « *Litterae tuae refrigeriique nostri...* » Brisighellae, 5. non. maias 1482.

Gratias ago D. Frati, bibliothecario in bibliotheca Bononiensi, qui mihi ea scripsit.

(4) Dolfi, *op. cit.*, p. 137.

(5) Orlandi, *op. cit.*, p. 113. Idem habet *Chronica Ghiselli* (apud Fantuccium, *op. cit.*, II, 141).

CAPUT III

QUA DILIGENTIA ISOCRATIS AD DEMONICUM ORATIONEM IN LATINUM SERMONEM BEROALDUS VERTERIT

Inter scriptores graecos qui tum XV°, tum XVI° saeculo fuerunt a doctis viris quam maxime culti, magnum profecto locum obtinuit Isocrates. Etenim, ad annum usque 1495 (quo Aldus Manutius Venetiis sua praela instituit), cum quatuor tantum scriptores graeci excusi sunt (1), inter eos locum obtinuit Isocrates, nec profecto ignobilem. Isocratica enim editio quae, curante Demetrio Chalcondyle, Mediolani prodiit anno 1493, pulchris characteribus, et *textu*, ut dicunt, satis puro nitet (2).

Annis sequentibus usque ad annum 1498, nullus Isocraticus liber in publicum prodiit. Sed mox Isocraticae editiones multae excusae sunt, inter quas tres ab Aldo Manutio curatae (3). Anno 1509, inter prima opera graeca

(1) Praeter Isocratem nempe Aesopus, Theocritus et Homerus. Cf. A. Firmin Didot, *Alde Manuce et l'Hellénisme à Venise* (Paris, 1876, in-8), p. XLIII et seq., 36-45.

(2) Legrand, *Bibliographie hellénique* (Paris, 1885, in-8), I, 16.— Editio Isocratis Chalcondylica invenitur Parisiis, *Bib. Arsen*. A. 1123, B. L., Romae, *Bib. Corsin*. Mirum est hanc editionem prorsus ignotam esse doctissimo viro Boriah Botfield, (*Preface to the first editions of the greek and roman classics and of the sacred scriptures* ; London, 1861, in-4).

(3) Venetiis, apud Aldum, 1499, in-4. (Beriah Botfield, *op. cit.*, p. 243 ; Renouard, *Annales de l'imprimerie des Alde* (Paris, 1834, 3ª ed., in-8), p. 18). — Venetiis, in aedibus Aldi, 4. non. maii 1513, in-fol. (Beriah Botfield, *op. cit.*, p. 297 ; Renouard, *op. cit.*, p. 60-61). — Venetiis, in aedibus haeredum Aldi Manutii, mense Julio 1534, in-fol. (Renouard, *op. cit.*, p. 111.)

quae Parisiis prodierunt in lucem, editi sunt ab Hieronymo Aleandro Πρὸς Νικοκλέα περὶ βασιλείας λόγος et Πρὸς Δημόνικον λόγος παραινετικός (1). Id tandem erat hujus aevi studium in Isocratem ut, in suo famoso *de Principe* libro, Machiavellus si non omnia fere, ut quidam contenderunt (2), at certe multa ex Isocrate sit imitatione prosecutus. Etenim litterae, quibus scriptor librum suum dedicat Laurentio Medici, ea fere *de verbo ad verbum* referunt quae Isocrates habet initio suae orationis Περὶ βασιλείας πρὸς Νικοκλέα ; similiter ultimum caput, quo Machiavellus finem et rationem totius operis aperit, certo sumi videtur ab oratione quam Isocrates scripsit ut Philippum ad pacem exhortaretur (3).

Cur Isocrates adeo tunc in honore fuerit, facile potest explicari. Apud hunc enim rhetorem invenitur primum atticus sermo, purissimus sane, non tamen contortus et intricatus ; deinde omnis rerum ratio ita dilucide exponitur ut res ipsae, neque arduae neque difficiles, ponantur in luce aperta. Adde quod Atheniensis ille, nec gravitate nimia nec tristitia quadam perfusus, mores prae se fert et docet integros quidem, sed non asperiores neque sublimiores ; ceteroquin sententiis refertus optimis et pulcherrimis, quibus legentium animi delectantur. Quae profecto omnia in deliciis habebant hujus aetatis (4) homines, nulla fere tristitia affecti, nec moribus severiores, nec austeris disciplinis traditi, qui (quod nemo ignorat), permagnam voluptatem percipiebant ex perlectis Erasmi *Adagiis* quorum editiones sunt, eo saeculo, fere innumerae (5).

(1) H. Omont, *Essai sur les débuts de la typographie grecque à Paris*, in *Mémoires de la Société de l'Histoire de Paris et de l'Ile-de-France* (1891), p. 7, 15, 24, 25.

(2) Cf. *Revue des Questions Historiques*, T. XXIV (1878), p. 282-283 (R. Fulin).

(3) *Comptes-rendus de l'Académie des Sciences morales et politiques*, Janvier 1877. (*Nourrisson.*)

(4) Vulgo *la Renaissance.*

(5) Van der Haeghen, *Bibliotheca Erasmiana*, T. I (Gand, 1897, in-12

Præ aliis autem Isocratis operibus *Oratio ad Demonicum praeceptiva* tunc temporis omnibus, ut ita dicam, manibus versabatur. In editione Chalcondylica primum locum obtinet. Quam saepe autem et quam attente legeretur multis testimoniis compertum habemus (1). Parisiis enim, anno 1509, ut dixi, edebatur, duobus tantum annis postquam primus liber graecus in Galliis excusus erat (2). Postea, aut sola aut cum una vel altera Isocratis oratione est frequentissime typis mandata (3).

Nec graeca solummodo, sed et in latinam linguam versa haec oratio legentes delectabat. Isocratis quidem opera omnia non sunt ante annum 1529 translata in sermonem latinum (4); illam autem *ad Demonicum orationem* vix labente XV° saeculo e graeco in latinum vertebat Antonius Urceus Codrus (5). Primis deinde saeculi XVI[i] annis, haud semel in eamdem linguam haec oratio translata est (6).

Non miror equidem tam florentem fuisse hujus orationis fortunam. Quae enim Isocratis erant huic saeculo grata, ea profecto in *Oratione ad Demonicum praeceptiva* inve-

(1) Cf., inter alios, Firmin Didot, *op. cit.*, p. 248.

(2) Cf., supra, p. 41.

(3) Panzer, *Ann. Typ.* VIII, p. 412, n° 623 (apud Aldum, 1513, in-fol.); de qua cf. etiam Graesse, *Trésor des livres rares ou précieux*, III, 435; Renouard, *Annales de l'imprimerie des Alde* (Paris, 1834, 3[a] ed. in-8°, p. 61; — Panzer, VII, p. 109, n° 342 (Hagenoae, apud Joh. Secerium, 1532, in-8); — VIII, p. 537, n° 1731 (Venetiis, apud Aldum, 1534, in-fol.), de qua cf. etiam Renouard, *op. cit.*, p. 111; — et ceterae multae editiones, quas apud *Panzerium* videas. — Inter recentiores multi dixerunt hanc *ad Demonicum orationem* Isocrati abjudicandam esse. Cf. Lehman de Lehnsfeld, *De Oratione ad Demonicum Isocrati adjudicanda*. (Lugduni Batavorum, 1879, in-8).

(4) Isocratis *Orationes, Joanne Leonicero interprete*. Basileae, apud Andream Cratandrum, anno 1529, mense martio, in-4. (Fabricius, *Biblitoheca graeca*, I, 909; Panzer, *Ann. Typ.*, V, p. 270, n° 734; Graesse, *Trésor*..., III, 436).

(5) C. Malagola, *op. cit.*, p. 374. Cf. etiam Panzer, *Ann. Typ.*, IV, p. 148, n° 680.

(6) Cf. Panzer, Graesse, etc. et Firmin Didot, *op. cit.*, p. 591.

niuntur; quod quidem facile apparet hujus orationis singulas partes disquirenti, et quasdam sententias ex illa depromptas consideranti.

« Boni, inquit Isocrates, diligunt amicos, quamvis absentes. » Ad monstrandam igitur suam erga Demonicum amicitiam, Isocrates ei mittit hanc orationem, quae de educandis adolescentibus tractat. Hoc autem studium omnibus studiis longissime praestare ex eo constat quod virtus pulchritudini et divitiis antecellit; constat etiam ex exemplo patris Demonici qui, ut Demonico virtutis exemplum fuit, ita Demonicum hortatur ut ipse filiis suis simile exemplum fiat.

Quibus jam praepositis, dicit Isocrates quomodo Demonico tum erga deos, tum erga seipsum, tum erga amicos agendum sit; disserit et de vestibus et de divitiis divitiarumque usu; mox de servis loquitur, et qua ratione tractandi sint servi disquirit; nonnullaque addit ut quomodo manducandum sit exponat; quae quidem omnia, fateor, quasi confusa videntur, nec in ordinem satis adducta. Postea Civitatis res aggressus, non diffitetur et potentibus viris et, ideo, libero populo necesse esse blandiri. Quibus dictis, explicat qua ratione et quibuscum hominibus oporteat res publicas agere. Tandem venit illud Solonis, quod in graecis litteris tam frequens usurpatur, homini non esse nimis gaudendum, cum nesciat utrum ultimus vitae dies felix an miser futurus sit.

« Quae quidem concludit orator, pro tenera tua aetate, o Demonice, nimis alta sunt fortassis, sed decurrente vita, ea meditatus felicem vitam poteris transigere. »

Disjecta vero haec Rhetoris clarissimi membra consideranti minime apparet quam pura lingua utatur Isocrates; jure tamen jam concludi potest quam facilis rerum ordo disponatur, et quam facile res in ea oratione contentas quivis intelligere valeat.

Insuper, multae, immo plurimae in ea oratione senten-

tiae inveniuntur (1). Ex iis sententiis aliquae sunt altae et sublimes, pleraeque honestae, quæ scilicet disciplinam ad mores pertinentem redolent, sed neque duriorem, neque asperiorem, neque ardua nimis jubentem ; sicque, ut supra diximus, hominibus vitam XVI° saeculo agentibus, videbatur omnino conveniens.

Porro et graeca et latina lingua peritissime utebatur Philippus Beroaldus junior : « Graecam latinamque linguam eum bene callere » 26 annos natum dicebat Beroaldus senior (2) ; et in versibus ad nostrum scriptis sic canebat Joannes Antonius Flaminius :

Gentis praecipuum decus Latinae
Sermonis patrii potensque Graii (3).

Ceterum, « sermonis Graii » Beroaldum fuisse potentem optime testantur eae, quas retulimus, litterae ad Aldum Manutium a Beroaldo scriptae (4).

Qui hoc aevo graecum aut latinum codicem in alteram linguam transferebant, ii fidi omnino interpretes erant, neque, ut sequenti saeculo accidit, videbantur circa scriptoris sermonem vagi et errantes (5). Itaque Isocratis fidissimus interpres esse voluit Beroaldus noster : « Existimo, scribebat in sua dedicatoria ad Constantium Bentivolum epistola, tali usum dexteritate ut sensum sensui apprime reddiderim. » Porro quanquam, ut in iisdem litteris scribit, « novum omnino ipsi erat hoc exercitationis genus », finem intentum attigit. Quae quidem ipse vertit, si cum hodierno quodam graeco codice conferuntur, reperiuntur, fateor, ab eo nec raro, nec leviter

(1) Quas quidem collegeram, sed ab iis citandis abstineo, brevitatis causa.

(2) Cf., supra, p. 8.

(3) Cf., supra, p. 9.

(4) Cf., supra, p. 10-11.

(5) Cf. R. Copley Chistie, *Étienne Dolet* (trad. Stryienski, Paris, 1886, in-8), p. 344 et sqt.

discrepantia, sed si ea contulerimus cum libro quem excudi curaverat Chalcondylus (quo quidem Chalcondylico usus est Beroaldus), tunc certiores erimus nostrum multa praestitisse fidelitate (1).

Hujus autem Isocraticae orationis, quam in latinum sermonem Beroaldus vertit, fortuna fuit satis prospera profecto; quae enim, ut opinor, una fuit ex causis cur Beroaldum Julius II[us] gratum habuerit, et mox Romam venire jusserit. Adde quod oratio nostra fuit haud semel typis mandata. Postquam Bononiæ producta fuit in lucem (2), rursus tum Parisiis in aedibus Ascensianis, idibus junii 1513, cum *Variis Philippi Beroaldi* (senioris) *opusculis* (3), tum Augustae Vindelicorum, in officina Joannis Miller, IX. Kalendas Januarias, anno 1515, una cum *Aesopi et Aviani fabellis ab Hadriano Barlando nuper mutatis* typis mandata est (4).

(1) In animo mihi erat quaedam exempla afferre quibus ostenderem Beroaldum et plerumque textum graecum sequi, et aliquando, ut latinae linguae genio indulgeret, ab eo longius ivisse, et aliquando tandem in eo interpretando errasse. Cum brevis esse cupiam, ab iis abstineo.

(2) Cf., supra, p. 32.

(3) Panzer, *Ann. Typ.*, VIII, p. 3, n° 623.

(4) Panzer, *op. cit.*, VI, p. 143, n° 80 ; Graesse, *Trésor...*, III, 436.

CAPUT IV

DE BEROALDO ORATORE

Initio saeculi XVI[i] et praesertim tempore Julii II[i] magnas habuerunt in Italia partes Franciscus Maria Roboreus et Franciscus Alidoxius. Postquam enim Julius II[us], oblitus foederis quod cum Ludovico Francorum rege et Maximiliano imperatore inierat, fuit cum Venetianis reconciliatus, ad arma ipse pontifex cucurrit, atque quo melius res belli duceret, Bononiam ingressus est (22 sept. 1510). Alterum tamen ducem exercitus jam antea elegerat fratris sui filium Franciscum Mariam Roboreum, qui jam dux Urbinas factus (anno 1508) tunc vigesimum primum annum agebat (1).

Hieme vero anni 1511 Julius Mirandulam oppugnavit (21 jan. 1511). Mox, Mirandula capta, Bononiam triumphans reversus est, et reliquum hiemis tempus in muniendis castellis consumpsit; deinde legatum Bononiae praefecit Franciscum cardinalem Alidoxium, Ravennamque ipse petiit (2).

Rebus tamen ita prospere gestis, repente longe aliud

(1) Ugolini, *Storia dei conti e duchi di Urbino*; G. B. Leoni, *Vita di Francesco Maria di Montefeltro della Rovere, IV° Duca d'Urbino* (Venetia 1605); Andrea Marcello, *Una mostra di cavalleria in Bologna nel anno 1508* in *Atti e Memorie... per la Romagna*, Ser. III, T. V (1887), p. 1 et seq.

(2) Ciaconius, *Vitae Pontificum et Cardinalium* (Romae, 1677, in-fol.), III, 228; G. N. P. Alidosi, *Instruttione delle cose notabili di Bologna* (1621), p. 15, 118; Pompeo Litta, *Famiglie celebri italiane* (Milano, 1852, in-fol.), T. VIII (gens *Alidosio*); Gio. Gozzadini, *Di alcuni avvenimenti in Bologna e nell' Emilia dal 1506 al 1511, e dei cardinali legati A. Ferrerio e F. Alidosi*, in *Attie e Memorie... per la Romagna*, Ser. III, T. IV (1886), p. 67-176, T. VII (1889), p. 161-267; Pastor, *Histoire des Papes depuis la fin du moyen-âge* (trad. Furcy Raynaud, Paris, 1888-1898, in-8), T. VI, p. 282, 310 et seq.

accidit ac Pontifex speraverat. Etenim, incipiente vere, Joannes Jacobus Trivultius cum iis qui Bononiae in papam infensi erant amicitiam nexuit ; derepente, nocte media inter diem 21am et 22am mensis maii, populus Bononiensis ad arma currere, legatum ejicere, antiquos patronos, Bentivolos scilicet, ad se vocare, et in fragmenta frangere magnam illam Julii statuam quam paucis abhinc annis Michael Angelus fabricaverat. Dux Urbinas, a legato Alidoxio in auxilium vocatus, non advenit nisi post urbem captam, mixtisque cum Trivultio manibus, ab eo omnino victus est. Deinde comitissa Francesca in suum Mirandulae castrum rursus intrare ; dux Alphonsus Estensis Modenam recuperare aliaque Ferrariensis Comitatus castella ; tandem, ubique in magno discrimine res Pontificis jactari.

Quod omnia autem sic perdita essent et afflicta se invicem accusabant et Alidoxius et Urbinas, qui mox ad Papam, Ravennae tunc commorantem, venerunt, ut ab omni culpa se eximerent. Sed die 24a maii anni 1511, cum Urbinas, a patruele suo vehementer increpatus, e domo pontificis egressus esset et Alidoxium obviam invenisset, statim transverso gladio, media die, media in Ravenna, in via Sancti Vitalis Cardinalem trucidavit (1).

Istam autem Cardinalis necem Julius indigne tulit : « Eo graviore dolore, ait Raynaldus, affectus est Julius quo contumacius transfugae Cardinales se contra ipsum

(1) De his omnibus rebus cf., praeter scriptores jam modo allatos, Paradis de Grassis *Diarium* a Ludovico Frati editum in *Documenti e Studi di storia patria per le provincie di Romagna* (Bologna, 1886, 2 vol. in-8), T. I ; Sanuto, *I Diarii*, T. VIII-XII (De morte Alidoxii, XII, col. 200) ; Bembi *Rerum Venetiarum historiae* lib XI, in Bembi *Operibus* (Venetiis, 1729. 4 vol. in-fol.), I. 299 ; Pauli Jovii *Vitae illustrium virorum* (Basileae, 1577-1578, in-fol.) II, 169 ; Guicciardini, *Historia d'Italia*, lib. IX, c. V, (Milano, 1829), p. 334 et seq. ; Raynaldi *Annales ecclesiastici*, XI, p. 482 et seq. (Paride de Grassis praecipuo fonte utitur) ; J. Klacsko, *Le Jeu de ce monde*, in *Revue des Deux-Mondes*, 1a april. 1896, p. 534-564.

erecturi erant, scelerisque invidiam ei creaturi tum quod, uti scribit Hieronymus Rubens, ecclesiasticae majestatis adeo graviter a nepote violatae vindicem praecipuum adversus Regum potentiam assertoremque se profiteretur. Coepit elatis in coelum clamoribus miserabilique ejulatu conqueri. Hoc igitur dolore supra quam dici potest incensus, tum etiam ne quam par esset diutius in tanto appropinquantis exercitus tumultu urbem Romam intempestive atque imprudenter deserere videretur, eodem die, duabus post trucidatum cardinalem horis, Ravenna profectus, Romam rediens, Bononienses gravi edicto Christianae Communitatis expertes fecit, sacroque anathematis telo affecit (1). » Eodem tempore tribunal instituebat quod Franciscum Mariam judicaret (2).

Mox autem, seu sponte, seu id petente Francisco Maria Roboreo, noster Philippus Beroaldus partes Urbinatis suscepit defendendas, et oratione callida probare conatus est Alidoxium jure et merito occisum fuisse.

Quam vero eae partes difficiles essent cum e multis rationibus in prïmisque e summa Cardinalis Alidoxii dignitate, tum praesertim ex istius hominis cum Julio II° intima familiaritate suspicari possumus. Fertur enim Alidoxius, incipiente Alexandri VI[i] pontificatu, Juliani cardinalis Roborei servasse vitam, quippe qui eum distraxisset a bibendo venenoso poculo quod ei a Borgia praeparatum esset. Ferunt praeterea Alidoxium pulchra facie admodum Roboreo placuisse. Mox exulem Julianum Alidoxius per Galliam erat comitatus, posteaque

(1) Raynaldi, *Annales ecclesiastici*, XI, 598.

(2) Cf. auctores supra allatos, p. 46, 47. — Raynaldus dicit sex judicibus tribunal constitisse (*Ann. ecc.*, XI, 598), omnes autem alii scriptores quatuor tantum. Praeter Joannem cardinalem Mediceum, quem unum e judicibus fuisse scribit Gozzadini (*op. cit.*, in *Atti e Memorie... per la Romagna*, 1889, p. 231) qui fuerint judices nusquam reperi. Attamen, Beroaldus dicere videtur inter eos sedisse Achillem Crassum, cardinalem Bononiensem.

Juliani, maximo Pontificatu ornati, intima consilia penitus noverat. Illud etiam addi potest Julium papam et Michaelem Angelum, tunc infenso animo concitatos, fuisse ab Alidoxio ita restitutos in amicitam ut Alidoxius sua manu signaret libellum quo Buonarottius promittebat se Sixtinae aediculae muros picturis ornaturum (anno 1506).

Ab illo tempore ad mortem usque cardinalis, nulla inter Pontificem et Alidoxium nebula intervenit; immo auctae amicitae duo praeclara monumenta remanent, palatium scilicet quod hodie vocant *Paenitentiariorum Sancti Petri*, et palatium *Villa Maliana* dictum. Quorum prius, a Dominico Roboreo extructum, res Alidoxii, anno 1509, haud dubium Pontificis donum, fiebat. Statim sollicitam curam impendebat Alidoxius ut eximie pingeretur illius palatii oratorium, cujus in duplici tympano adhuc hodie videri potest ingens quercus, cujus rami quidem utraque parte adumbrant cardinalitium capellum, truncus vero haec habet ad laudem Pontificis : « Agite mortales otia, quos cibo et umbra quercus alit. » Insuper fornix, in quadrata partita, alterno scuto, Pontificis scilicet et Cardinalis, ornatur, nempe quercu Pontificia, et aquila nigra gerente lilium album medio in pectore, quod scutum Alidoxii erat.

Duodecim ab Urbe millibus, in medio itinere inter Romam et Portum Ostiensem, stant ruinae *Villae Mallianae*. Hunc quietis locum elegerat Innocentius VIII^{us}, huc venationis amator Leo X^{us} libentissime, quo facilius venaretur, veniebat, hanc sedem obtinuit Alidoxius auxitque, in eaque alia amicitiae Pontificiae monumenta jecit; hodiedum, singulis oratorii fenestris leguntur haec verba : « F. Card. Papiens. Julii II alumnus. »

Quae quidem omnia recogitanti Beroaldo, et quam arduum esset, quod aggrediebatur, opus consideranti, nihil opportunius visum est quam blandis et callidis verbis,

quibus mentes captaret et animos alliceret, orationem incipere (1). « Cum mihi primum, inquit, Judices, causa Francisci Ruere principis Urbini delata est, graviter sum perturbatus ac diu multumque dubitavi, pro ea qua senatum apostolicum reverentia prosequor, fasne esset ejus hominis defensionem suscipere qui principem Cardinalem a se occisum confiteretur. Quod factum si per se consideraretur, grave esset, atrox, invidiae plenum, atque adeo inusitatum ut perraro antea sit auditum et id acriter vindicatum; si re ipsa aestimaretur, in hac praecipue quaestione quae de nefarii proditoris caede instituta est, summam in se justificationem contineret. Ita cum in causa omnia mihi facilia et secunda pollicerer, extra causam duas potissimum graves adversarias defensioni nostrae paratas cernebam, quae me non mediocriter amoverent.»

Duarum illarum rerum, quibus contra se pugnari dicit orator, prior quidem erat ordinem cardinalium adeo sanctum esse ut nemini liceret violentas manus in cardinalem quemquam injicere, altera autem judices, utpote cardinales, propensos esse ad necem Alidoxii vindicandam, quippe qui non possent non credere seipsos ita propriam vitam servare proprioque commodo inservire.

Antequam igitur ad rem ipsam, necem scilicet Cardinalis, adveniat, duplex istud argumentum prima suae orationis parte Beroaldus evincit. Narrat enim quae sit Collegii Cardinalitii origo, quae praestantia, qui ad illud aditus; qua quidem narratione illud collegium ita extollit et exornat ut deinceps eo nefandiora tantoque ordine indigniora appareant quae affirmat fuisse ab Alidoxio facta.

Hinc ad eum venit, cujus vitam et mores quam nigerrimis coloribus depingit : nulla originis nobilitas, pueritia nulla educatione instituta, adolescentia inter scorta et aleatores, matura aetas iis vitiis polluta quae in ceteris

(1) De qua oratione, cf., supra, cap. II, p. 31, et, infra, Appendicem II.

flaccessere et deteri solent. Ibi longa quidem, sed callida narratione exponit orator quomodo istiusmodi monstrum potuerit Juliani Roborei amicitiam et acquirere et conservare ; quomodo legatus Bononiensis factus sit et tandem quae in sua legatione scelera perfecerit.

His praedictis, ipsum, de quo agitur, factum, Bononiam scilicet captam, Alidoxiumque ab Urbinate occisum in secunda Orationis parte aggreditur Beroaldus. Aemiliam, inquit, cunctam fratri suo possidendam cum statuisset Alidoxius, nec a Pontifice obtinere potuisset, tunc iste Papae legatus cum Gallis conspirare coepit, ut simul Bononiam caperent Urbinatemque, tardius in auxilium vocatum, acie superarent et necarent ; dein, consilii anceps, Ravennam ad Julium ivit ; sed de omnibus istis tam infandis certior factus, Urbinas noster eo amore in rempublicam incensus fuit adeoque justa ira excanduit ut, Deo movente, « victimam religioni expiandae aptissimam, humano generi salutarem, mactaret. »

Quae autem, tam insolita, tam incredibilia, postquam affirmavit, ea certa esse omnino et aperta et rata orator ostendere conatur ; asseverat enim conjuncta Alidoxii et hostium consilia vel ex ipsis Ludovici Gallorum regis verbis minime posse revocari in dubium ; ceterum, odium legati in Urbinatem luce clarius iterum atque iterum apparuisse ; addit ambitiosos homines, sua nunquam sorte contentos, ad sublimiora, invita fide, invitis beneficiis, semper tendere ; Alidoxio ex sua proditione nihil metuendum, cum ex omni parte aliquid boni in eum deflueret : regnum Aemiliæ si Gallis victoria fuisset, sin aliter, veniam Pontificis nullo remanente proditionis monumento.

Hinc Urbinatis laus : jampridem veneno, aliisve modis potuisset Alidoxium clam e medio sufferre ; sed odio privato indulgere visus esset ; reipublicae autem amore commotus, viriliter, cum magno sui periculo, publice publicum hostem patriae immolavit.

Ceterum, jamjam sententia prolata est ab urbe Roma quae occiso Alidoxio exultavit, ab universa Aemilia quae, ab oratore in medium adducta, de omnibus sui legati facinoribus diu queritur; quid? ab ipso Deo rebusque inanimatis quae signis non dubiis monstraverunt sibi taedio Alidoxium viventem, mortuum solatio esse; ab Alidoxio tandem qui confessus est se peccatorum suorum dignum vitae exitum invenisse.

Haec et alia postquam callide Beroaldus in secunda orationis parte evolvit, ad calcem orationis omnia argumenta in unum fascem colligit, cum illa scilicet ex proditione Alidoxii et vita ejus, tum alia ex dedecore quod cardinalibus incumberet si Alidoxii absoluti scelerum sic quodam modo socii facti essent. Omnes affectus movet, dum heroem Urbinatem iis ostendit, cujus operam non minus efficacem in posterum sperare possunt quam antehac senserunt salutarem, cujus vitam et honorem servandos tota poscit Italia, poscunt populi Francisco subditi, Federicus Gonzaga, Mantuae princeps et uxoris Urbinatis frater, Joanna Mater Urbinatis et Leonora Gonzaga uxor, ipseque Deus qui « auctor atque impulsor tantae rei fuit. »

Haec oratio Beroaldi. Porro, quid verum sit aut falsum haud tam ex oratoriis quam ex historicis operibus quaerendum, opus vero Beroaldinum vel maxime oratorium est. Quod si singillatim perpenderimus quid verum, quid falsum dubiumve sit in iis quae Beroaldus in medium profert, videbimus revera eum quaedam extulisse aut minuisse prout causae proderat quam susceperat defendendam. Cum de Alidoxio adolescente loquitur qui « sine viri nomine » viros semper quaerebat, prudenter tacet, quod multi alii proposuerunt, eum vinculo haud dicendo cum Juliano Roboreo conjunctum esse. Deinde quo Alidoxium dum Bononiensem legationem appetebat sceleratiorem faceret, de Antonio Ferrerio, qui ante Alidoxium

legatus fuit, indulgenter est locutus. Etenim, si historicis fidas, Antonius Ferrerius, cum ad legationem Bononiensem suis malis artibus pervenisset, adeo injuste in ea adimplenda se gessit ut Julius eum Romam accersitum in Mole Adriana incluserit, mulctaque viginti millium scutorum affecerit (1). Quae quidem iis quae a Beroaldo dicuntur parum consonant. « An vero nescimus, judices, inquit orator, Antonium Savonensem, Sancti Vitalis cardinalem, Bononiensem legatum, ab isto multis criminibus falsis primo insimulatum, deinde veneno etiam sublatum quo legationem plenam nummorum invaderet. » Tandem, cum vitam, mores, proditionem et necem Alidoxii narrat Beroaldus, non dubitandum est eum quam nigerrimis coloribus Alidoxium, quam maxime albis Franciscum Mariam pingere.

Ista igitur violenta et vehementius exaggerata oratio nequit haberi quasi nihil affirmaret nisi certum et verum et minime dubium. Attamen, ea historiae nec pauca nec parvi momenti confert. Etenim vix unus et dimidius annus elapsus erat cum Beroaldus eam scripsit : quamvis igitur eum cupiisse putemus quod reo faveret concinnare, nunquam tamen ausus esset res aperto falsas, et quae ab omnibus falsae esse putarentur, dicere. Modum igitur quo res evenerunt componere potuit orator, res ipsas fingere et plane aliter atque passim referebantur dicere non potuit.

Reipsa, quamvis multa foeda et horrenda in hac oratione de Alidoxio legantur, fatendum est ea fere omnia ab historicis ejusdem temporis jam dicta esse : eadem de eo adolescente, eadem de ejus moribus, de Bononiensi legatione, sceleribusque eo tempore ab eo patratis, eadem de perduellione et debita nece.

Immo, ipsam ignobilem originem Alidoxii, quam asse-

(1) *Documenti e Studi... per la Romagna* (*op. cit.*), I, p. 35, etc. (Paris de Grassis) ; Ciaconius, *Vitae Pont. et Card.*, II, 1055 ; Gozzadini, *op. cit.*, in *Attie memorie... per la Romagna*, IV (1886) p., 81–94.

rit Beroaldus, et quam prorsus ignoravit Pompeius Litta (1), Paris de Grassis notare videtur cum dicit « ipsum ex vermiculo factum esse tantum, » (2)

Equidem ex iis quae Beroaldus in Alidoxium profert, quaedam alia in lucem non sunt adhuc prolata, aut saltem in Beroaldina oratione nova luce illustrantur. Inter quae peculiari modo notanda quae Beroaldus dicit de Alidoxio ejecto a Juliano Roboreo e familia et contubernio; de rebus quibusdam ab eo Bononiae gestis; de consiliis cum Gallorum rege initis et praesertim de Alidoxio ab Urbinate vinculis alligato ; tandem de ultima Alidoxii hora et verbis. Sed quanquam ea sunt partim nova et inaudita, ea ipsa aliis rebus, quae ab historicis in Alidoxium jam dictae sunt, plane consonant: quotquot enim, cum aequales tum posteri, de Alidoxio locuti sunt, si unum et alterum de recentioribus excipias, eum nefandum et sceleratum hominem in cuncta vita fuisse, et tandem cum hostibus Julii pactum feriisse dixerunt. « Die jovis 22ª maii, scribit Paris de Grassis, hora circiter 20ª, Franciscus Alidoxius de Castello de Rio, qui ut pastor servare Bononiam debuit et potuit, prodidit et perdidit... Nemo doluit de hujus morte, omnes toti et universi arriserunt, et prae laetitia exultarunt, gratias Deo agentes, qui est benedictus. Amen » (3). Quae verba eo magis miranda aestimabimus si meminerimus Paridem plerumque res sine affectu, sine amore aut odio, ut merum chronicorum scriptorem, referre. Paridi consonat Bembus, qui narratam Alidoxii mortem sic concludit : « Qui quidem paulo post se ipse saepius accusans egit animam, turpis et flagitiosae vitae vir, cui nulla fides, nulla religio, nihil pudicum, nihil unquam sanctum fuit. » (4) Quid plura?

(1) Pompeo Litta, *Famiglie celebri italiane* (Milano 1852, in-fol.), T. VIII (gens *Alidosio*).

(2) *Documenti e Studi... per la Romagna (op. cit.)*, I, 275.

(3) *Documenti e Studi... per la Romagna* (*op. cit.*), I, p. 278.

(4) Bembi *Rerum Venetiarum historiae*, lib. IX (in Bembi *Operibus*; Venetiis, 1729, 4 vol. in-fol. T. I, p. 299).

Cum usi sint similibus verbis quotquot illo tempore de Alidoxio scripserunt (1), cum ex alia parte huic omnium de Alidoxio aestimationi omnia quae Beroaldus dicit plane consonent, et ea scilicet quae ab historicis dicta jam sciebantur, et ea alia quae a Beroaldo uno in lucem proferuntur, pronus sum ad credendum haec omnia, nisi quaedam parvi momenti adjuncta, de quibus locutus sum, excipias, veritati consonare.

Quam igitur orationem dignam existimavi quae, partim saltem, e tenebris ad lucem educeretur (2), et id, cum propter ea quae historiae affert, tum propter alia. Etenim, qua libertate, acerba quidem, componitur, patefit quam libere tunc temporis de rebus Ecclesiae loqui doctissimis viris concederetur dummodo satiras suas Ciceroniano stylo exornarent. Insuper, mihi recogitanti quo ingenio, qua arte, qua industria scripta sit, videtur posse, vel hodie, litteratis viris aliquam delectationem afferre.

(1) Guicciardini, *Historia d'Italia* l. IX, c. V. (Milano, 1829), p. 334 et seq.; Pauli Jovii *Vitae illustrium virorum*, Vol. I, p. 169 (*De Vita Alfonsi Ducis Ferrariae*). (In editione Basiliensi, 1577–1578, in-fol., II, 169; in altera editione Basiliensi, 1596, in-fol., IV, 207); Ciaconius, *Vitae Pontificum et Cardinalium*, III, 228; Denistoun, *Memoirs of the Dukes of Urbino*, (Londinii, 1851, 3 vol. in-8), II, 328-329; Gregorovius, *Geschichte des Stadt Rom im Mittelalter* (Romae, 1874, 2ª ed.), VIII, p. 70 et seq; Gozzadini, *op. cit.*, IV (1886), p. 106–108, 135 et seq.; VII (1889), p. 170 et seq. Nihilominus, aliqui recentiores scriptores remissius de Alidoxio sunt locuti, Fantius scilicet (I. Fanti, *Imola sotto Giulio II*. Imola, 1882, in-8, p. 10 et seq., hoc vero opus legere non potui), J. Klacsko (*Le jeu de ce monde*, in *Revue des Deux-Mondes*, 1ª april. 1896), et L. Pastor (*Opus cit.*, T. VI, p. 326). Audita illa scriptorum in Alidoxium infensorum harmonia, J. Klacsko stat attonitus, insinuatque ex illis scriptoribus æquales Alidoxii scienter, posteros ignoranter errasse: « Julio, inquit, tot et tanta scelera ignota remanere non potuerunt: quomodo igitur ille Pontifex, recta et generosa indole, Alidoxio adeo vitiis et mendaciis pleno amicitiam illaesam etiam mortuo servasset? Ceterum, addit idem scriptor, neque Guicciardinus, neque alii in Alidoxium solidum quoddam afferunt: forsitan igitur in iis contumeliis amor veritatis minor insit quam animus ad Urbinati obsequendum pronus ideoque novum judicium historicum de Alidoxio ferendum sit. »

(2) Cf., infra, Appendicem II.

Hanc autem, quam retuli, Beroaldi orationem ex aliquorum dictis deduceretur nunquam fuisse, adstantibus judicibus, pronuntiatam, quippe qui asserant, Alidoxio occiso, Franciscum Mariam Roboreum non fuisse in judicium adductum. Cum enim res jam in eo esset, inquit Guicciardinus, ut a judicibus examinaretur, Julius papa in gravem morbum incidit; deinde, cum sanus iterum factus fuit, Franciscum « non ut de justitia illud merentem, sed *per modum gratiae et indulgentiae apostolicae, ut paenitentem, absolvit.* » (1)

Contra, Joannes Baptista Leonius firmissime asseverat Julium papam, eodem tempore ac Concilium Lateranense convocaret, citasse Urbinatem ut de cardinale Alidoxio necato Romae judicaretur. In quem, addit Leonius, severe et dure processum est. Sed postquam multis testimoniis et scriptis manifestum fecit Alidoxium, praeter alia indigne gesta, cum Gallis res occultas in Sedem apostolicam et Julium ipsum papam machinatum esse, publica quatuor judicum, qui Cardinales erant, sententia fuit absolutus; quam sententiam uno ore cunctum Cardinalium collegium approbavit (2).

Quas autem diversas sententias Raynaldus feliciter conciliat cum dicit Urbinatem quidem in judicium fuisse adductum, sed, partim Pontificis gratia, fuisse absolutum. Scribit enim : « Institutum fuisse Romae adversus Urbinatem de caeso Cardinale judicium refert Stephanus Infissura, ejusque causam, quam se egisse ait, cognoscendam sex cardinalibus fuisse demandatam, ac demum illum absolutum, nimirum Pontificis gratia. (3) » Raynal-

(1) Guicciardini, *Historia d'Italia*, l. X, c. 1 (Milano, 1829), p. 342.

(2) G. B. Leoni, *op. cit.*, p. 135.

(3) *Annales eccles.*, XI, 598. Ad haec stabilienda, Raynaldus citat « Infiss. ms. Arch. Vat. Sig. n. III. » Sed is codex in archivo Vaticano jam non invenitur. « Il manoscritto citato da Rainaldi ne' suoi *Annali ecclesiastici*, e che nell' archivio Vaticano recò il num. III, ora piu non vi si trova. » Ita Oreste Tommasini, *Stefano Infessura*,

do fere omnino consonat Gozzadini cum dicit tribunal quidem ante Julii morbum institutum esse, sed tunc nullum ab eo judicium prolatum; post morbum vero Pontificis, Urbinatem, qui aegrotantis patrui in gratiam jam redierat, coram cardinalibus stetisse, et ab ipsis, lege quidem non ita jubente, fuisse absolutum (1).

Certum igitur videtur tribunal sedisse et coram eo Franciscum Mariam stetisse. Sed Raynaldus dicit (2) et Leonius dicere videtur (3) Urbinatem ipsum causam egisse suam. Cum autem ii scriptores Beroaldinam orationem prorsus ignoraverint, admodum verisimile est eos errasse et non Franciscum Mariam, sed Beroaldum ejus loco fuisse locutum aut saltem a Beroaldo, ante aut postquam Urbinas locutus esset, orationem quam retuli fuisse dictam (4). Ceterum etiamsi admitti posset (quod admittendum non credo) eam orationem non fuisse, adstantibus judicibus, pronuntiatam, pro certo tamen, credo equidem, affirmari potest ea vel audita vel perlecta non minorem utilitatem fuisse Francisco Mariae allatam.

Judicio tandem elapso, Julioque II° vita functo, oratio Beroaldina non remansit prorsus ignota. Quod quidem ex eo concludi potest quod in Vallicelliano codice legitur nonnullis notis aucta (5). Forsitan etiam haec

Diario della città di Roma; in *Fonti per la Storia d'Italia*, T. V (Roma) 1890, in-8), p. XXII; *Archivio della società Romana di storia patria*, T. V (1888), p. 499-501.

(1) *Atti e Memorie.. per la Romagna*, VII (1889), p. 231. Cf., insuper, Paridem de Grassis, in *Documenti e Studi... per la Romagna*, T. I, p. 294. — Circa dignitates Urbinati redditas, vide *Acta consistorialia* (Archiv. consist. palatii Vaticani) sub die 22ª augusti 1511 (Pastor, *Opus cit.*, T. VI, p. 343), et, in *Archivo Vaticano*, AA. *Investit.* Arm. III, T. XXII, p. 244; T. XXIII, p. 3; Arm. XXXV, T. XLI, p. 116; T. XLII, p. 1, 13 (X. Kal. Martii 1512.)

(2) Cf., supra, p. 56

(3) Cf., supra, p. 56

(4) Cf. Denistoun, *Memoirs of the Dukes of Urbino*, II, 328-329; Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter* (1874, 2ª ed., in-8), VIII, p. 76-80.

(5) Cf., supra, p. 31.

oratio, ab Erasmo perlecta, fuerit doctissimo viro causa cur Beroaldum juniorem inter *Ciceronianos* recenseret (1), quippe quae Ciceronis Orationes, in primisque illas in Verrem, in Catilinam et praesertim in Clodium pro Milone frequenter et feliciter imitetur, stylumque Ciceronianum ubique apprime redoleat. Eam etiam orationem memoria certe repetebat Achilles Bocchius cum Francisco novo Miloni Beroaldum novum Ciceronem gratulabatur (2), eamdemque repetere videbatur Lucas Gauricus cum Beroaldum juniorem « clarum oratorem », et « oratorem celeberrimum » praedicaret (3).

Attamen, elapsa saeculi XVI[i] priore parte, Beroaldina oratio oblivioni dedita est. Ab eo tempore ad nostrum usque, unus Denistonius, aut ego fallor, de ea oratione verbis manifestis apertisque hanc fecit mentionem ex qua deduci possit illam ab eo fuisse lectam (4).

(1) Erasmi *Opera* (Lugduni Batavorum, 1703-1706, in-fol. ; ed. Jo. Clericus), I, 1010 B.

(2) Cf., supra, p. 18.

(3) Lucas Gauricus, *op. cit.*, II, 1636.

(4) Denistoun, *Memoirs of the Dukes of Urbino*, II, 328-329 : « The process war long and complicated ; for the Duke had many proofs, oral and documentary, to adduce of the Legate's secret intelligence with the French and the Bentivoglii. The pleading in his defense by Philippo Beroaldo the younger..... is a very remarkable declamation. »

Gregorovius quidem (*Op. cit.*, T. VIII, 76-80), et Pastor (*Op. cit.* T. VI, p. 343), de Beroaldo Urbinatis oratore loquuntur, sed uno quidem illi verbo et Denistonico fonte utuntur.

CAPUT V

QUO STUDIO TACITI CODICEM MEDICEUM TYPIS MANDANDUM BEROALDUS CURAVERIT

Vix Leo papa X ad Summi Pontificatus apicem evectus erat, cum omnem navavit operam ut codices adhuc ineditos ex omnibus locis colligeret (1). Mox Romam allatus est codex in quo legebantur sex primi Annalium Tacitianorum libri ; quod statim Leo quingentis aureis emit (2), et Beroaldo juniori typis mandandum commisit. Porro volumen illud in lucem venit kalendis martiis anni 1515, complectebaturque non solum sex illos Annalium libros, sed etiam omnia alia, quae supererant, Taciti opera. Quod quidem volumen cum inter opera Beroaldi supra recensuerimus et descripserimus (3), superest ut dicamus quis et qualis sit codex ille Beroaldo commissus, unde venerit, quanti pretii aestimanda sit Beroaldina editio, et quae fuerit illius fortuna.

Codex qui Beroaldo traditus est invenitur hodie Florentiae in Bibliothecae Laurentianae Pluteo LXVIII°, Numero I° signatus. II^us hujus Plutei numerus continet ceteros Annalium et Historiarum libros ; in III° autem numero ea includuntur quae Beroaldus ipse sua manu scripsit ut typographis mandarentur. Qui quidem codices cum sint accuratissime a Bandino descripti (4),

(1) Roscoe, *Vita e Pontificato di Leone X* (ed. Bossi, Milano, 1817), X, p. 245 ; Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter* (1874, 2a ed.), VIII, 286 ; E. Müntz, *La Bibliothèque du Vatican au XVIème siècle* (Paris, 1886, in-18), p. 34-37.

(2) Saxius ; de quo infra, p. 69.

(3) Cf., supra, p. 32-33.

(4) Bandini, *Catalogus cod. lat. Bibliothecae Laurentianae*, II, 831-838. In *Montefalconerio et Mazzuchellio* numeri primus et tertius signantur

rursus describantur necesse non est. Hic solum notare juvat uno codice, *Laurentiano* scilicet, vel, ut aiunt, *Mediceo I°*, sex primos Annalium libros ad nostra usque tempora pervenisse.

Sed de origine illius codicis, paucis abhinc annis, magna exorta est controversia.

Anno 1878, Guilsonius Rossius, Anglicus gente, librum edidit quo ostendere conabatur clarissimos illos Annales, quos antiqua et communis fama Cornelio Tacito auctori semper attribuit, esse conscriptos non a Cornelio quidem Tacito, sed a Poggio Bracciolino qui saeculo XV° vitam agebat. Cujus sententiam paucis verbis referemus.

Quem titulum operi suo Rossius imposuit, plane explicat, ut ait scriptor in suo prooemio, quid in opere ipso contineatur (1). Opus autem ipsum in quatuor libros dipartitur. Quorum in primo, cui titulus *Tacitus*, ostendit Rossius a Tacito Annales scribi vix, immo omnino non potuisse. Multa enim disparia in libro videntur, multa in dictis contraria. Nam Tacitianum opus, sicuti postea Davidis Hume Historia Britanniae, inversum annorum ordinem sequitur, ita scilicet ut primo res aequales, deinde antiquiores narret. Sed ad id faciendum cum nihil Tacitum impelleret, verisimile est eum Annales non scripsisse. Praeterea, ante medium XV^um^ saeculum, nullus scriptor de Annalibus locutus est, neque Plinius, neque Tertullianus, neque alius quisquam de doctis viris qui Ecclesiae Patres vocantur. Insuper, ex codicibus qui Annales continent, Vaticanos dico, Parisiensem, Britannicos et Florentinos, nullus saeculo XV° est antiquior. Adde quod multa afferri possunt cur necesse sit credamus Annales

numeris XXV et XXIV. Descriptionem Bandinianam retulit Orellius in sua Tacitiana editione (Turici, 1859; Introd. p. XI); et summatim Æmilius Jacob (*Cornelii Taciti Opera*; Parisiis, Hachette, 1885, 2 vol. in-8, I, p. XXX).

(1) *Tacitus and Bracciolini. The Annales forged in the XVth century, by* J. Wilson Ross. (London, Diprose et Bateman, 1878, in-8).

esse fictos, et saeculo XV° compositos, isto, inquam, saeculo, arte falsa et mendacia fabricandi notissimo; multi enim errores, quibus fraus apparet, facile in Annalibus deteguntur; immo *Annales* et *Historiae* tot rebus differunt inter se, ut jure concludendum sit utrumque opus non esse uni eidemque auctori tribuendum : Historiae enim Taciti aevum, Annales vero XVum saeculum redolent.

In secundo operis sui libro, cui *Bracciolini* titulus, inquirit Rossius quis Annales scripsisse potuerit. Ille homo, inquit, maximi ingenii fuit. Porro, nullum aevum ad hujusmodi hominem procurandum aptius quam mirabilis illa saeculi XVi pars prior, nullus scriptor ejus aetatis ad Annales effingendos aptior quam Poggius Bracciolinus. « Saeculo XV° vixerunt gigantes in rebus mentis; tunc Italia summum in iis rebus fastigium attigit; illi aetati, cujus initium cum Dante et Petrarcha, finis cum Machiavello, nulla aequalis, praeter illas Pericleos et Augusti (1). » Atqui ea aetate vixit Poggius Bracciolinus, qui ab Innocentio VII° usque ad Callixtum IIIum novem Papis *a secretis* fuit, acutissimus quidem veterum codicum perquisitor, latinae linguae eximius cultor et ex omni parte egregie instructus ad Annales de quibus lis est effingendos. Cui tamen opem adjunxit, ut verisimile est, Nicolaus Nicoli, paris ingenii scriptor. At dummodo pro certo ponatur Poggium fuisse Annalium auctorem, jam tenetur clavis ad intelligenda multa Annalium loca quae, nisi illud admiseris, explicabis difficillime.

In duobus ultimis operis sui libris, Rossius utramque Annalium partem, nempe sex ultimos et sex primos libros, singillatim inspicit, ut utramque ostendat a Poggio esse fabricatam. Quod ad sex ultimos spectat, ostendit multa in eis Poggium redolere. Sex autem primos libros, quos scilicet excudit Beroaldus, esse a Poggio compositos comprobare difficilius erat, cum propter alias cau-

(1) *Op. cit.*, p. 125, 126.

sas, tum quia non tempore Poggii, sed Leonis X^{i} inventi sunt. Antequam ad eos veniat, Rossius depingit Poggium in sua villa commorantem, et operibus, quae tunc scripsit, indicatis, refert quo tempore, quo modo sex illi Annalium libri detecti sint. Eo, inquit, tempore, reperti sunt quo quidam Poggii filius, Joannes Franciscus nomine, Leoni X^{o} *a secretis* erat, quod ad rem enucleandam multum refert. Jam enim cum pro sex Annalium ultimis libris Poggius 500 nummos aureos (1) accepisset, tunc sex alios libros conficiendos aggressus erat; sed mox, cum mortem sibi imminere sentiret, quae die 30^{a} octobris 1459 accidit, liberos suos hortatus erat ut eos Cosmae Medici tempore opportuno proderent; quod quidem tempus Joannes Franciscus advenisse aestimavit, cum Joannes Medices, Cosmae nepos, pontifex summus factus est.

Utcumque autem se res habeat, ait Rossius, ex iis libris attente introspectis et diligenter consideratis facile concluditur eos certe non a Tacito, sed, ut apparet, a Poggio esse compositos : in rebus enim depingendis, eadem atque in sex ultimis ratio, iidem colores, praeter id perfectius quod Poggiano ingenio anni dederant; ejusdem generis facinora, iidem horrendi mores, idem agendi modus, cum in principibus, tum in eorum ministris; tandem unus totius orationis sonus, stylus nempe poeticus cum verbis quae non raro singulari conjunctione tenentur, immo cum verbis quibusdam a Tacito nunquam usurpatis. Adde stupendam aliquando historiae et geographiae inscitiam ita ut in multiplices errores auctor delapsus sit; adde denique summa et nimium multa inter eos libros et Historias discrimina.

Quibus conscriptis, Rossius quasi triumphans exclamat : « Puto sufficientia dixisse ut probaverim Annales spurios esse, omnesque docti viri hoc non tantum verisimile, sed certum ratumque habeant. »

(1) 500 sequins d'or.

Si non omnes eruditos in suam sententiam adduxit Rossius, at saltem Hochartum Burdigalensem persuasit; qui quidem scriptor totam ferme doctam Europam ea Tacitiana quaestione nimium et diutius agitavit.

Anno enim 1884, coepit affirmare quae in XV° Annalium libro de Christianis leguntur, ea esse prorsus ficta et commentitia (1); quo quidem in loco (Ann. XV°, cap. XLIV°), ut omnes norunt, narratur quam crudelibus et exquisitis suppliciis Christi discipuli sint a Nerone excruciati. Non dubitat autem Hochartus asserere ea esse non a Tacito, sed a quodam Medii Aevi monacho composita; eo enim in loco, inquit, multa verba, immo nonnulli verborum circuitus inveniuntur, quae Christianis ab auctoribus scriptor iste mutuatus est. Addit etiam Christianos, Nerone regnante, nihil mali passos esse, et totam istiusmodi narrationem, falsam omnino, esse paulatim, annis labentibus, constructam, e secundo Sulpitii Severi Chronicorum libro praesertim exhaustam desumptamque.

Anno autem sequenti (1885 in istud fabularum genus magis praeceps factus Hochartus asseveravit signum **T** (Thau) ante Christum multum diffusum fuisse et jam ad religionem pertinuisse; proinde crucem non esse instrumentum supplicii, neque Jesum cruci affixum esse (2). Deinde, anno 1887, eadem mente impulsus, et ad hanc disputationem aggressus ut demonstraret Romano in imperio Solem esse sacris honoribus cultum, ausus est affirmare Solem et Christum, III° et IV° saeculo, esse simul a Christianis adoratos et Constantinum imperatorem nullo jure posse inter Christi discipulos annumerari (3).

(1) P. Hochart, *Études au sujet de la persécution des chrétiens sous Néron*; in *Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux*, 1884, p. 44-169; et, Paris, Leroux, 1885, in-8.

(2) *Le Symbole de la Croix, le signe mystique; le gibet antique, le crucifix*; in *Annales... de Bordeaux*, 1885, p. 121 et seq.

(3) *La Religion solaire dans l'Empire Romain*; in *Annales... de Bordeaux*, 1887, p. 36, 100.

Tandem anno 1890 in lucem veniebant duo opera quibus Hochartus quae jam scripserat confirmabat, immo amplificabat et pro viribus augebat (1); quorum quidem uno conabatur probare omnia ad religionem pertinentia esse ficta prorsus et commentitia ; altero autem id pugnabat ut demonstraret neque Annalium neque Historiarum libros esse a Cornelio Tacito compositos.

In eo quidem opere, postquam Rossium laudavit, dicit Hochartus non solos Annalium, sed et Historiarum libros esse praeposito fallaciter Taciti nomine in medium productos. Depingit deinde Poggium, ejus mores et indolem ; disserit de codice *Mediceo II°*, in quo sex ultimi Annalium et quinque primi Historiarum libri continentur, mox de *Mediceo I°* disputat, in quo sex primi Annalium libri servantur. Justum autem Lipsium et Gerardum Vossium plurimi scriptores secuti affirmarunt codicem illum esse in Corveiensis monasterii bibliotheca inventum a quodam thesauri pontificii *receptore;* cui gratulatum LeonemX[um]500 nummos seu *ducatos* aureos donasse. Postea Ernestius asseruit illum felicem codicis inventorem fuisse Arcimboldum (2). Sed reipsa, addit Hochartus, ubi et a quo codex ille fuerit repertus, prorsus ignoratur (3) ; idque solummodo constat minime potuisse fieri ut e Corveiensi monasterio codex de quo disputatur afferretur.

Quibus jam dictis Hochartus examinat qua manu, qua pergamena, quibuscum titulis codices illi sint scripti ; iis atque ipsis, quas complectuntur codices, rebus con-

(1) *Études d'histoire religieuse* (Bordeaux, Gounouilhou, 1890, in-8) ; — *De l'Authenticité des Annales et des Histoires de Tacite* (Paris, Thorin, 1890, in-8).

(2) *Op. cit.*, cap. IV, p. 61-67 : *Le manuscrit de Léon X.* — De Joanne Angelo Arcimboldo cf J. Paquier, *Jérôme Aléandre et la Principauté de Liège* (Paris, 1896, in-8), p. 53.

(3) Id verum dicit Hochartus non Beroaldum (ut multi negligenter asseruerunt), sed recentiores scriptores de Corveiensi monasterio et Arcimboldo locutos esse. Beroaldus dicit codicem « in saltibus Germaniae » inventum esse.

sideratis, ostendit his duobus codicibus non Taciti, sed cujusdam scriptoris saeculo XV° vitam agentis, verisimiliter Poggii Bracciolini, opera contineri. Quod autem de *Mediceo II°* dicitur, id etiam de *I°* dicendum, scilicet de sex primis Annalium libris a Beroaldo editis. Hoc vero *Mediceum I^{um}* non « in saltibus Germaniae » inventum est, sed a Joanne Francisco, Poggii filio, Leonisque X[i] *a secretis*, huic Pontifici venditum (1).

Verum enim vero, statim ut ista fuerunt ab Hocharto composita, tota docta Europa repugnavit et reclamavit (2). Inter doctos autem qui graviore et pleniore voce Hochartum redarguerunt et refellerunt, paucos tantum referre sufficiat.

Anno 1886, Eduardus Cuq perbelle explanavit sensum verborum Taciti quibus Hochartus opinabatur argumentationem suam de Annalium libri XV[i] capite 44° maxime fulciri : « Haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. » Ostendit enim primum *conjuncti* loco *convicti* legendum esse; dein verba *odio humani generis* a Latinis adhibita esse ad eos notandos qui maleficiis et incantationibus possent aliis nocere (3).

Anno 1890, Hector Callegarius opus Hochartianum de Authenticitate Annalium et Historiarum Taciti examinabat, demonstrabatque neque codices Tacitianos, neque res in Taciti libris contentas Hochartianae argumentationi favere (4). Eodem anno amicus quidam ad Hochar-

(1) *Op. cit.*, p. 218 et seq., 328 et seq.

(2) *Revue Historique*, jan. 1885, p. 174 : « La thèse nous paraît des plus hardies »; mart. 1890, p. 384 (Monod); *Revue des Questions Historiques*, T. XXI (1885), p 76 (Douais) ; *Compte-rendu des séances de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, Sér. IV, T. XIV (1886, jan.-mart.), p 25, 90, 96 (G. Boissier); Isidoro Carini, *I lapsi e la deportazione in Sicilia di S. Eusebio Discorso letto nell' Accademia di rel. cattolica, 16 apr. 1886*; A. Cinti, *Historia critica Ecclesiae catholicae*, T. I, p. 121, etc.

(3) Édouard Cuq, *De la Nature des crimes imputés aux Chrétiens d'après Tacite*; in *Mélanges d'Archéologie et d'Histoire publiés par l'École Française de Rome* (1886), p. 115-138.

(4) *Rivista storica Italiana* VII (1890), p. 524 et seq. (Ettore Callegari).

tum subridendo scribebat Tacitum a Poggio sane fictum esse, se tamen vehementer mirari quod Poggius in aliis quidem scriptis suis mediocri stylo usus, potuisset in iis tantum Tacitianis optimo stylo praestare (1).

Tandem Antianus, bibliothecae Laurentianae custos, Hocharto scribebat Tacitiana opera jam in manibus Boccacii fuisse (2).

Nihilominus in sua opinione perseverabat Hochartus. Anno enim 1890 asserebat Tacitum Boccacio non fuisse notum, addebatque, quando in aliquo saeculi XIV[i] scriptore de Tacito ageretur, non esse dubitandum quin opus istud esset fictum commentitiumque. Eodem anno, in altero libello, dicebat non Ptolemaeum Taciti vestigiis, ut Hermanno Mullerio Germano placuit (3), sed Poggium Ptolemaei vestigiis inhaesisse (4).

Anno autem 1891 asserebat Hochartus quae in Ann. lib. I cap. LIII et in Hist. lib. II cap. VIII et IX de Asprenatibus legimus, fictitia esse et Poggio, non Tacito, tribuenda (5).

Tandem, anno 1894, aliud opus Parisiis prodibat quo pertinax iste scriptor enitebatur suam sententiam novis argumentis confirmare, nec dubitabat gloriari audacter quasi omnibus contrariam opinionem tuentibus ipse invicta ratione respondisset (6).

Sed istiusmodi novi libelli non meliorem fortunam ac primi obtinuerunt. Anno 1892, Petrus de Nolhac Hochar-

(1) Tannery, *La Question de Tacite. Lettre à M. Hochart*; in *Annales... de Bordeaux* (1890), p. 237 et seq.

(2) Cf. *Rivista storica Italiana*, XII (1895), p. 661, ubi de hac Antiani epistola agitur.

(3) Hermann Müller, *Die Marken des Vaterlandes* (Bonn, 1837), p. 118-120.

(4) *Boccace et Tacite. — Siatutanda*; in *Annales... de Bordeaux* (1890, nn[i] 2 et 3), p. 266, 288-292.

(5) *Tacite et les Asprénas*; in *Annales... de Bordeaux*, 1891, p. 228-250.

(6) *Nouvelles considérations au sujet des Annales et des Histoires de Tacite* (Paris, Thorin, 1894, in-8).

tum subridebat quod magnam partem operum saeculi XIV[i], imprimisque Boccacii spuriam esse « stans pede in uno », affirmabat (1). Denique Florentiae doctissimi viri, Tacitianos codices iterum atque iterum perscrutati, asserebant eos omnibus summae antiquitatis notis praestare (2).

Cornelio igitur Tacito sunt omni jure attribuendi et Annalium et Historiarum libri, et codex, quo usus est Beroaldus, non Poggii, sed Taciti opera continet; quem codicem Ritterius, in sua Tacitiana *editione*, opinatur fuisse nono saeculo scriptum (3).

Ceterum, ubi et a quo codex ille fuerit inventus disquirere quisque potest et controversiam facere. In sua quidem ad Leonem X[um] epistola, Beroaldus dixit codicem « in saltibus Germaniae » fuisse repertum, Justus autem Lipsius, Vossius et Miraeus opinantur codicem in Corveiensi, alii, ut Ritterius, in Fuldensi monasterio inventum esse; quem, ut supra dixi, Ernestius credit ab Arcimboldo detectum (4).

Suo sane pretio Beroaldinus Tacitus valet, in quo quidem et charta, et litterarum formae et omnia ejusmodi pulcherrimam speciem effingunt. Haec jam mirabantur aequales : « Quod de Cornelio Tacito rogas, scribebat Nicolao Gerbelio Michael Hummelbergius, impressus est hic characteribus admodum politis, additis aliquot prioribus libris superioribus annis in Germania nostra repertis. Eum retro anno Beroaldus ille junior non tam ut interpretaretur quam impressum divulgaret publicitus pro-

(1) *Boccace et Tacite;* in *Mélanges d'Archéol. et d'Hist publiés par l'École Fr. de Rome*, XII (1892), p. 125-148.

(2) *Rivista storica Italiana*, XII (1895), p. 661-664. (F. Ramorino).

(3) Taciti P. Cornelii *Opera* ; recensuit Franc. Ritter (Leipzig, 1864, in-8), *Introd.* p. XI.

(4) Cf. supra, p. 64; E. Jacob, *Cornelii Taciti Opera* (Paris, Hachette, 1885, 2 vol. in-8), *Introduction* ; W. A. Sprooner, *Cornelii Taciti Historiarum libri qui supersunt* (London, Macmillan, 1891, in-8), *Introduction.*

fiteri exorsus est, sed actutum a praelegendo destitit. » (1)

Modus autem quo Beroaldus opus Tacitianum protulit in lucem non ore pleno laudandus est. De ultimis quidem Annalium libris et de Historiis et de Tacitianis opusculis nihil dicendum : Beroaldus enim rursus edidit quae jam a Puteolano, Mediolani, intra annos 1476 et 1480, edita fuerant. More antiquo, neque Puteolanus, neque Beroaldus Annales ab Historiis sejunxit.

Quod vero ad sex primos Annalium libros attinet, de quibus in lucem edendis Beroaldus ipse primus curam habuit, primo animadvertendum a Beroaldo hos libros imperite ut Historiarum, non Annalium partem datos esse ; deinde cum codici veteri nimis fideret, credidit non sex (ut omnes hodie de ea re consentiunt, sed quinque tantum esse numero libros. Insuper ut multa deesse in libro quinto notaret, duobus tantum signis, nec iis admodum illustribus, indicavit : quae verba ante rimam ultima leguntur nullo puncto aliave distinctione terminavit ; quae vero post rimam sequuntur, a linea praecedenti ad posteriorem transtulit. Tandem, Beroaldo jam diu vita functo, cum codex ille, tanta fama illustris, fuit rursus et attentissime perlectus et examinatus, tunc ab eruditis viris comprobatum est Beroaldum (sive defecisset scientia, sive non suffecisset tempus) non potuisse semper codicem ita recte et perfecte legere ut omnem errorem vitaret, et omnia menda corrigeret.

De notis vero, quas Tacitiano operi Beroaldus addidit, nihil nobis dicendum, quippe quae et paucissimae sint, et nullius fere momenti (2).

Beroaldi autem gratia, ut supra lectum est, « ne quis

(1) A. Horawitz, *Zur Biographie und Correspondenz Johannes Reuchlin's* (28 mart. 1514-23 mart. 1522) ; in *Sitzungsberichte der Akademie der Wissenchaften zu Wien*, t. LXXXV (1877), p.157 (Romae, 24 mart.1516).

(2) Quare non mirari non possumus a Petro Victorio (*Castigationes ad Ciceronem*, p. 546 ; apud Mazzuchellium, *Op. cit*. T. II, P. II, p. 1019), et a Carolo Malagola (C. Malagola, *Op. cit.*, p. 292) eas notas

intra decennium presens opus posset alicubi impune imprimere aut impressum vendere gravissimis edictis cautum erat (1). » Nihilominus, accidit ut et Mediolani et Romae simul tunc temporis Taciti opera excuderentur, annoque 1517 prodiret *Mediolanensis editio* ex officina Minutiana, Andreae Alciati notis aucta (2).

Quomodo autem haec Tacitiana editio et Romae et Mediolani simul emissa fuerit in lucem, Saxius longe retulit (3). Memorat et sex primos Annalium libros nuper inventos, et Leonem X^um statuisse ut eos in lucem emitteret, ad illam porro curam gerendam eum delegisse Philippum Beroaldum, et insuper indicta excommunicatione latae sententiae vetuisse ne quis ubique gentium praeter Beroaldum illa praelo subdere auderet. « Accidit autem, inquit, ut per amicos Romae degentes admonitus Minutianus impressionis quae ibidem peragebatur, avidusque novae hujus historiae oculis ebibendae rogaret obtineretque ut prodeuntia e typis folia singillatim sibi remitterentur. » Tum Summus Pontifex Leo id scire, Minutianumque Romam arcessere, Minutianus vero Pontificem precibus adire ut eum demulceret. « Nec irritae preces abiere, nam Summus Pontifex Leo Brevibus litteris, datis anno MDXVI°, non modo benignam absolutionem ab ecclesiasticis censuris, si opus foret, Minutiano indulsit, sed insuper facultatem fecit ut libros eosdem ad impressionis finem perduceret, impressosque ubique gentium, re tamen cum Beroaldo composita, venales proponeret. »

laudatas esse. Unde, ni fallor, vix dubium est quin Beroaldinum opus, quod quidem rarissimum est, ii scriptores nunquam in manibus habuerint.

(1) Cf., supra, p. 32.

(2) Cornelii Taciti *quae exstant, ab Andrea Alciato edita* (Mediolani, in officina Minutiana, MDXVII, in-4); Panzer, *Annales typogr.*, VII, p. 395, n° 147.

(3) Jos. Ant. Saxii *Historia litterario-typographica Mediolanensis* (*una cum Ph. Argelati Bibliotheca scriptorum Mediolanensium*), I, p. CIX.

Saeculo XVI° saepe excusi sunt sex primi Annalium libri, inter quas editiones praecipuam laudem obtinent tum illa quam anno 1533 Beatus Rhenanus apud Frobenium protulit, tum eae quibus Justus Lipsius Antuerpiae et Lugduni Batavorum ab anno 1574 ad annum 1600 curam dedit. Primus Lipsius Annales ab Historiis, primus Annalium librum sextum a quinto sejunxit. Sed neque Beatus neque Lipsius codicem *Mediceum Ium*, eum nempe quo Beroaldus usus erat, in manibus habuit, ac proinde quae Beroaldus ipse legerat et protulerat, ea non potuit, nisi casu et fortuna, corrigere et emendare. Ipsae autem et paucae et, ut dixi, parvi momenti notae quas Taciti scriptis addiderat Beroaldus, immo quas adjunxerat Andreas Alciatus, eae rursus legi possunt in diversis quae subsecutae sunt *editionibus*, ad eam usque quam Parisiis, anno 1608, dedit Petrus Chevalier, ultimam, ut opinor, in qua inveniuntur Beroaldinae notae.

Exeunte autem saeculo XVI°, Curtius Pichena, primus post Beroaldum, codicem *Mediceum Ium* oculis suis perlegit, qui vir eruditissimus primum Taciti libros doctis annotationibus explicavit, deinde hos ipsos Taciti libros typis rursus mandandos curavit (1607).

Quae omnia si consideraveris attente, colliges Beroaldi de Tacitianis Annalibus opus maxima auctoritate, toto XVI° saeculo, gavisum esse (1).

(1) De editionibus Tacitianis saeculi XVIⁱ cf. Panzer, *Annales typogr.*, VI, p. 231, n° 290; VI, p. 293, n° 911 ; VII, p. 43, n° 239; VIII. p. 537, n° 1737; A. Horawitz, *Des Beatus Rhenanus literarische Thätigkeit, 1508-1547* ; in *Sitzungsberichte der Akademie der Wissenchaften zu Wien*, T. LXXI (1872), p. 643-690; T. LXXII (1872), p. 323-376 (362 et seq.) ; Gust. Knod, *Zur Bibliographie des Beatus Rhenanus Nachtrag* ; in *Centralblatt für Bibliothekwesen*, II (1885), p. 273; A. Horawitz u. K. Hartfelder, *Briefwechsel des Beatus Rhenanus* (Leipzig, 1886, in-8), p. 614 ; E. Jacob, *Cornelii Taciti opera* (Paris, Hachette, 1885, 2 vol. in-8), *Introduction* ; W. A. Sprooner, *Cornelii Taciti Historiarum libri qui supersunt* (London, 1891, in-8), *Introduction*.

CAPUT VI

QUID BEROALDI CARMINA ET EPIGRAMMATA AD HISTORIAM CONFERANT, AC QUO INGENIO ET ARTE BEROALDUS EA COMPOSUERIT

Quoniam in capite primo jam ea e Beroaldi Carminibus et Epigrammatibus sumpta sunt, quibus cognosci potest quae fuerit ejus indoles, quos et quales amicos et discipulos habuerit (1), nunc restat ut, iis carminibus rursus consideratis, disquiram quas res et quos homines depingat poeta, quibus numeris utatur, quos poetas imitari et quo ingenio ipse praeditus esse videatur, quam tandem famam tum apud aequales tum apud posteros sit carminibus suis consecutus.

Et primum, quamvis ab oculis populi remotam vitam agere solitus esset (2), Beroaldus tamen sui temporis et res et homines suis carminibus haud semel revocat in memoriam et perbelle depingit.

Sic, ut incipiam a rebus religionis, in *Alexandrum VI[um]* poeta noster vehementer invehitur, cujus sunt

Sanguine placandi Manes, sed sanguine nati (3).

Illud autem attente animadvertendum censeo Beroaldum nihil unquam scribere quo laedantur aut in suspicionem veniant mores *Joannis Medicis* (qui nempe postea Leo X[us] factus est).

Julium vero cardinalem Mediceum quadam die invitat t Imperiam jubeat arcessi, sed istiusmodi verba semel tantum, et per ludum et jocum, ut opinor, scribit :

(1) Cf., supra, p. 17 et seq

(2) Cf., supra, p. 22.

(3) *Epigr*. 5.

Minimum sapit mihi, qui
Contendit sapere anxie.
Face lucem hanc hilaremque et genialem,
Lepidosque combibones
Acciri jubeas tibi,
Sadoletum, Marianum, Imperiamque (1).

In eodem carmine, *Hieronymus Aleander* (2) jam unus e familiaribus Julii Cardinalis apparet :

Ego Scipioque doctus,
Una Pierius tuus
Aleandro saliente assiliemus.

At in iis versibus, fateor, *Jacobus Sadoletus* non ita pulchris coloribus depingitur. « Ibi Sadoletus, ait Menagius, inter perbellos socios ponitur ! Frater Marianus quidem erat monachus scurra et vorax, Imperia autem celeberrima et pulcherrima meretricum quae tunc Romae vivebant » (3). In alio carmine Beroaldus Sadoletum inducit Imperiae munera afferentem (4).

Attamen Sadolèti gravitas in proverbio erat, atque a Beroaldo ipso canitur :

Quæ major Sadoleti gravitas? Tamen
Post fastidia, post munia publica
Multum garrulitate
Donati capitur sui (5).

Postea, Sadoletus vitam ita correctam egit ut qui inter Lutheranos scriptores veritati historicae obsecuti sunt nihil mali de ejus moribus dixerint ; ideoque suspicor ea

(1) *Carm.* I, 20.

(2) Die 17ª junii 1516, Hieronymus Aleander, Leodiensi civitate relicta, Romam petierat, et, sub fine anni 1517, Julii cardinalis Medicei *a secretis* fiebat. J. Paquier, *J. Aléandre et la Principauté de Liège* (Paris, 1896, in-8), p. 175.

(3) *Menagiana* (Amsterdam, 1716), III, 347.

(4) *Carm.* I, 22.

(5) *Carm.* II, 16.

ipsa quae a Beroaldo scripta sunt, esse tamtummodo per jocum dicta, et veritati minime consentire (1).

Tandem, Beroaldi carmina testantur turbatos fuisse Romanorum animos cum nuntiatum est subito qua audacia *Lutherus* apud Germanos in *Indulgentias* inveheretur. Etenim, quanquam 30ª die augusti anni 1518, uno scilicet anno nondum elapso postquam Lutherus suas *theses* publicaverat, poeta noster mortuus est, attamen in « impium Lutherum » quodam in carmine insurgit (2).

De bellis etiam quae tunc cum exteris populis committebantur saepe mentionem facit noster poeta (3). Gallos nostros videtur nulla benevolentia prosequi, quos affirmat, nisi culina, nihil delectari (4). Barbaros odit ; luget

Patrios lares
Oppressos pede barbaro (5).

Haud semel Turcarum minas et victorias deflet. America autem inventa, sperat a Ferdinando et Emmanuele regibus

Turcam superbum posse quati (6).

Sed, heus! reges christiani

Bellantur omnes invicem, inutili
Nec laude digno marte ; studet Leo
Componere illos, in superbumque
Unanimes jubet ire Turcam (7).

(1) Sadoletum inter eos fuisse qui Imperiae obsecuti sint negat Tiraboschi, *Biblioteca Moden.*, IV, 426. Cf. etiam Rodocanachi, *Courtisanes et Bouffons* (Paris, 1894, in-8°), p. 23-27, 174-175, aliaque opera ab eo scriptore hic relata.

(2) *Carm.* I, 7.

(3) *Carm.* I, 11, 14, 21 ; II, 4.

(4) *Epigr.* 24.

(5) *Carm.* III, 9.

(6) *Carm.* I, 5.

(7) *Carm.* III, 1.

Sed Romani nostri, inquit Beroaldus, ad illa magna studia evolare non possunt, quippe qui toti sint et cupiditati, et fraudibus occultis, et voluptatibus dediti :

Hic ludum instituit sibi
Fortuna eximium, quo studet improba
Sacras ducere ad infulas
Quem stare aut olido in fornice vidimus
Aut transtris bibere infimam
Sentinam, et querimur si male sobrii
Rem curent male publicam,
Qui Turcam madidi conficiunt scyphis,
Scortorum in medio grege,
Auri mancipia infidaque pectora (1).

Ad puerum *Federicum Gonzagam*, quem Julius II[us] obsidem Romae retinuerat moxque paterno et tenero amore complexus est (2), pulchrum carmen scripsit Beroaldus :

Gonzaga, si te conspicio acrius,
Si te videndo, te magis ardeo
Videre, si te praeter unum
Nil oculos, animumve pascit...
O, macte virtute, o bona saeculi, et
Spes rara nostri, cresce age, et omine
Accinge te felici ad ingens
Italiae decus arrogandum (3).

Quo carmine Isabella, pueri mater, valde delectata est: « Quanquam, scribebat illa, forsitan in Federico nostro omnes illae egregiae dotes non sint, quas poeta adeo pulchre depingit, aestimo saltem hoc illi magno ad virtutem

(1) *Carm.* I, 4.

(2) A. Luzio, *Federico Gonzaga alla corte di Giulio II°;* in *Archivio della società Romana di storia patria*, IX, p. 509-582 ; J. Klacsko, *Le Jeu de ce monde* ; in *Revue des Deux-Mondes,* 1ª april. 1896.

(3) *Carm.* II, 3.

incitamento futurum esse. » Simul jubebat a Stratio, uno e Federici domesticis, mille gratias Beroaldo, suo nomine, agi (1).

Romam tunc plus aequo malis moribus indulgere ad Federici Gonzagae matrem scribebat qui tunc puero illi educando praeerat (2). Quin id diceret verum, et ea aetate pravi forent romani mores, vix dubium nobis esse potest scripta ejus temporis legentibus imprimisque Beroaldi. Inter alias autem meretrices, Julii II[i] tempore, nimis erat famosa *Imperia* ista quae poesi et poetis delectabatur, et a poetis multum celebrata ac vix 26 annos nata, Romae mortua est (anno 1511), et, quod benignius auctoritate suprema concessum est, in terra sacrata sepulta est (3).

(1) A. Luzio, *Op. cit.*, p. 543.

(2) A. Luzio, *Op. cit.* p. 533-534.

(3) Bandello, *Novelle*, Part. 3ª, nov. 42; Clarissimi jurisconsulti d. Jo de Nevizanis civis Asten. *Silva nuptialis* (Lugduni, per Joannem Moylin,alias de Cambray, 1524; Bibliot. nation. Parisiens. Inter reservatos, F. 2222), f. 71 : « Vidi Romae in capella ecclesiae sancti Gregorii sepulchrum Imperiae meretricis pulchrum et honorificum etiam pro una regina, cui hoc erat epitaphium : Imperia cognata romana, quae digna tanto nomine, quae rarae inter homines formae specimen omni dedit ; vixit annos 26, dies 12. Obiit 1511, die 15ª augusti. » In cujus tamen dedecus impressum fuit unum capitulum vulgare, incipiens : « O mondo cieco... »

Blosius Palladius hos versus in honorem Imperiae scripsit :

Di duo magna duo tribuerunt munera Romae,
Imperium Mavors et Venus Imperiam.
Ac pariter totis nixi sunt viribus ambo
Condendo Imperium Mavors, et Venus Imperiam.
Hos contra steterunt Mors et Fortuna, rapitque
Fortuna Imperium, Mors rapit Imperiam.
Imperium luxere patres ; nos luximus ipsi hanc.
Illi orbem, nos nos cordaque perdidimus.

J. M. Toscanus. *Carmina illustrium poetarum italorum* (Parisiis, 1577), p. 177 ; *Menagiana* (Amsterdam, 1716), III, 357, IV, 231-232.

Hoc aliud epitaphium inveni in ms. Vat. 3351, f. 122ᵛ, quod adhuc ineditum esse puto :

Fausti D. M. Imperiae

Imperia heic jaceo confossa Cupidinis armis ;
Vincere dum dicor Cyprida, perdit Amor.

Porro impudicae illi mulieri multos nobiles viros obsequiosos ostendit Beroaldus : Sadoletus enim, Phaedrus, Porcius, Laelius, Faustus, Colotius, si poetae fidem facis, Imperiae munera mittebant (1).

Mihi tamen animadvertendum videtur Beroaldum, nec mente pia nec casto animo insignem, solitum esse et ea canere quae ipse sentiret, et ad amicos scribere quos sciret iisdem moribus foedatos. Quapropter ex ejus versibus perlectis non jure colligendum omnes Romanos tunc temporis esse iisdem vitiis inquinatos, nec etiam omnes, quos voluptati deditos asserit, dignos fuisse quorum vita ista turpitudinis nota inureretur.

Ostendunt insuper Carmina Beroaldina quam notus sit hoc tempore et laudatus *Frater Marianus;* poeta enim noster Julium cardinalem Mediceum hortatur ut ad se recreandum acciri jubeat

Sadoletum, Marianum, Imperiamque (2)

Notissimus tunc fuit scurra ille, a Paride de Grassis Leonis X[i] « familiaris ridicularius » dictus, qui scilicet, fortunatissimus parasita, interdum ad Papam coenantem vocatus est. Multorum cardinalium haud semel fuit conviva, imprimisque Cardinalis Mantuani ; apud quem Cardinalem (ut narrat Federici Gonzagae rector) inter multos

Qui potuit? Claudo dum lumina, corripit arcum
Haec si spectasset, ter mihi victus erat.
Vane puer : homines mortalis forma tenebat,
Nunc tenet aeternos non peritura deos.

Postea, loco verborum *Imperiae* et *Imperia* substituta sunt *Imperii* et *Imperium.*

De filia Imperiae cf. Hieronymi Nigri litteras ad Marcum Antonium Michaelem die 29[a] dec. 1522 scriptas. Ruscelli, *Lettere di Principi* (Venezia, 1581), T. I, f. 11 ; Rodocanachi, *Op. cit.*, p. 16, 172.

(1) *Carm.* I, 22. — De aliis istiusmodi foeminis, nullo pudore ornatis, cf., supra, p. 21.

(2) *Carm.* I, 20.

nobiles viros et praelatos facetiis suis Federicum Gonzagam recreabat (1).

Sed Julii et Leonis aequales, quamvis omnibus voluptatum et deliciarum blanditiis capti nimium, in hoc sane laudandi sunt quod, omne pulchrum ardentissimo amore complexi, et litteras et artes singulari studio coluerunt, et monumenta omni ex parte perfecta et absoluta nobis reliquerunt.

Academiam Romanam, a Pomponio Laeto fundatam, *Joannes Corycius* tunc fovebat ejusque vitam longius producebat. « Corycius senex » (2), Germanus origine, sed, « moribus et diuturna Romae mora » (3) dignus qui Romanus censeretur, Academicos in suum hortum prope Quirinalem montem convocabat (4). Quem Corycium Beroaldus, qui Academiae Romanae particeps fuit (5), his versibus cecinit :

(1) A. Luzio, *Op. cit.*; in *Archivio della Società Romana di storia patria*, IX, 549-552. Cf. etiam p. 572-576 (11 jan. 1513). De « Fra Mariano Fetti » cf., inter alios, V. Cian, *Un Buffone del secolo XVI, Fra Mariano Fetti*; in *La Cultura* (Roma, 13 Giugno 1891) : « Fra la turba degli allegri parassiti, sovente in cocolla, il più fortunato, anche presso gli studiosi del nostro Rinascimento, fu questo frate » ; Rodocanachi, *Op. cit.*, p. 129 et seq., aliosque multos scriptores a Victorio Cian et a Rodocanachi allatos.

(2) Hoc nomen, Vergilii memores (*Georg.* IV, 127) Academici Corycio dederant.

(3) A. Virgili, *Berni, Rime* (Firenze, 1885), p. 32 : « per coltura e longa dimora. »

(4) De Joanne Corycio (Giovanni Goritz) cf. Pierii Valeriani *De Infelicitate Litteratorum* (ed. Mencken), p. 329 sqt ; Tiraboschi, *Storia della Letteratura Italiana*, T, VII. P. I, p. 127-130 ; Roscoe, *Vita e Pontificato di Leone X* (ed. Bossi, Milano, 1817), VIII, 214-221 ; Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom in Mittelalter* (1874, 2ª ed.), VIII, 324 sqt., 595 ; A. Horawitz, *Zur Biographie u. Correspondenz Joannes Reuchlin's* ; in *Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Wien*, T. LXXXV (1877), p. 132, 166 ; *Analekten zur Geschicte des Humanismus in Schwaben 1512-1518* ; in *Sitzungsberichte...*, T. LXXXVI (1877), p. 267 ; J. Burckhardt, *La Civilisation en Italie au temps de la Renaissance* (trad. Schmitt) (Paris, 1885, 2 v. in-8), I, 335, 351.

(5) Cf., supra p. 15.

Vobis Corycius, maxima numina
Has ponit statuas non sibi flagitans
Ampli arbitria regni
Majorem aut titulum ambiens (1).

Quid plura ? Lege, quaeso, nostrum poetam versibus suis canentem quanta laetitia, quanto plausu acceptus fuerit Laocoon repertus, « illud saxum » quod « doctae artificum animare manus (2) ».

Cujusnam autem pretii aestimanda est Beroaldi ἡ μετρικὴ τέχνη? Multis modis numerisque Beroaldus felicissime usus est ; hujus enim in carminibus octo στροφῶν formae obviam fiunt, scilicet sex e genere quod λογαοιδικόν vocant, Alcaicus versus, Sapphicus, quadruplexque Asclepiadeus ; deinde una e genere *aequali* seu familia dactylica, nempe Alcmanica, postremo una e genere mixto, quam, si placuerit, Beroaldinam nominabo.

I. Decem vero et octo Beroaldi carmina alcaico modo componuntur (3) ; in quibus nonnunquam amores celebrat poeta (4), aliquoties aut ruris (5), aut vini (6) gaudia exornat. Sed plerumque ea forma non utitur Beroaldus nisi ut res gravissimas proferat in lucem, ad religio-

(1) (Blosius Palladius) *Coryciana*, Cf., supra, p. 35.

(2) *Epigr.* 28. — De Laocoonte ad Vaticanum adsportato, vide *Archiv. Vat.* lib. 4. divers. Leonis X[i], f. 24.

(3) *Carm.* I, 1, 3. 5, 6, 8, 9, 14, 21 ; II, 1, 3, 5, 7, 9, 13, 15 ; III, 1, 3, 6 — Alcaica στροφή componitur, ut docti sciunt, duobus versibus alcaicis hendecasyllabis, uno trochaeo dimetro μετὰ ἀνακρούσεως, et uno duplici adonaeo Horatius 37 vicibus illa forma usus est in Carminibus. Vi quidem, et impetu et varietate praeditus, modus ille ab Horatio libentius quam omnes alii adhibetur, quoties scilicet gravissimos fortissimosque animi affectus motusque exprimere aggreditur, vel mores antiquos laudat, vel Romanam patriam extollit, quanquam aliquando Venusinus poeta ejusmodi forma utitur ut Bacchum canat Veneremque.

(4) *Carm.* I, 1 ; II, 5 ; III, 6.

(5) *Carm.* I, 3.

(6) *Carm.* I, 5.

nem vel philosophiam spectantes, aut ad Principum gloriam famamque attinentes.

II. Forma sapphica Beroaldus in quinque carminibus utitur (1); quorum quidem tria de amoribus et rebus jocosis praesertim referta sunt (2), quartum autem de Joanne Cardinale Medicco agit, Ravennae capto et postea liberato (3), quintum tandem ea canit quae Principem optimum efficiunt (4).

III-VI. Beroaldus quatuor formis asclepiadeis usus est (5).

Forma 2ª asclepiadea undecim carmina apud Beroaldum scribuntur (6). Unum aut alterum grave est (7); sed fere omnia de rebus jocosis et praesertim de puellis loquuntur.

Στροφή 3ª asclepiadea in uno Carmine apud Beroaldum invenitur (8), in quo scilicet dialogus fingitur inter poetam et Imperiam.

(1) *Carm.* I, 11, 17; II, 4, 18; III, 8.—Sapphica στροφή componitur tribus versibus sapphicis hendecasyllabis et uno adonaeo qua clausula utitur. Horatius 26 vicibus illa forma usus est in Carminibus; Catullus duobus vicibus (XI, LI). Dulcis magis quam fortis, exprimit motus animi modestos, precem quae ad Deum dulciter tendit, amorem, planctum, gaudium, sed illa omnia modesta, non violenta, nec nimio animi impetu incitata.

(2) *Carm.* I, 11, 17; II, 18.

(3) *Carm.* II, 4.

(4) *Carm.* III, 8.

(5) Sex στροφαί asclepiadeae ab Horatio adhibentur, quarum prima quatuor asclepiadeis (Hor. *Carm.* I, 1; III, 30; IV, 8), secunda duobus glyconiis et duobus asclepiadeis interpositis (Duodecim apud Horatium), tertia tribus asclepiadeis et uno glyconio (Hor. *Carm.* III, 10; IV, 5), quarta duobus asclepiadeis, uno pherecratio et uno glyconio (Hor. *Carm* III, 7, 13), quinta quatuor magnis asclepiadeis (Hor. *Carm.* I, 11, 18; IV, 10), sexta duobus aristophaneis et duobus magnis sapphicis interpositis metris (Hor. *Carm.* I, 8), componitur. Res nimis variae, motus animi nimis diversi illis formis ab Horatio exprimuntur quam ut cuique suum modum tribuere possimus.

(6) *Carm.* I, 4, 7, 10, 12, 15, 18; II, 8, 12, 14; III, 4, 9.

(7) *Carm.* III, 9; I, 4.

(8) *Carm.* I, 22.

Στροφή 4ª asclepiadea duodecim vicibus a nostro poeta adhibetur (1). Omnia ea carmina res jocosas (2) et praecipue amores (3) canunt.

Στροφή 5ª asclepiadea una vice a Beroaldo adhibetur, ad Auram, caniculam mortuam, deflendam (4).

VII. Forma alcmanica Beroaldus duabus vicibus usus est (5), ad duos mortuos lugendos, *Joannem scilicet Cottam*, et *Thomam Phaedrum Volaterranum*.

VIII. Ultima στροφή quae apud Beroaldum invenitur ab antiquis non venit, sed ei peculiaris videtur.

Ad Julium Medicem.

Medice, en adesse cernis
Augusti timidos dies,
Libitinae ratio quos facit atros.
Bene si sapis, kalendas
Augusti madidas ages:
Genio convenit istas dare totas... (6)

In illa forma haec elementa reperiuntur :

1° Versus anacreonteus catalecticus, scilicet iambus dimetrus catalecticus. Sed apud Beroaldum primo iambo ejus versus anapaestus semper subrogatur, ut fieri solet in poematibus quae Anacreonti adscribuntur.

Mĕdice eñ | ădēs | sĕ cēr | nĭs.

(1) *Carm.* I, 2, 13, 16 ; II, 2, 6, 10, 11, 16, 17, 19 ; III, 2, 7. — Cf. insuper, p. 35 (Carmen in honorem Corycii).

(2) *Carm.* I, 13 ; II, 2, 10, 11, 16, 19 ; III, 7.

(3) *Carm.* I, 2, 16 ; II, 6, 17 ; III, 2.

(4) *Carm.* I, 23.

(5) *Carm.* I, 19 ; III, 5. — Στροφή alcmanica componitur dactylo hexametro et tetrametro (Hor. *Carm.* I, 7, 28 *Epod.* 12). Hic ad seria, illic ad levia canenda eam adhibet Horatius ; semper tamen aliquid triste et grave secum affert.

(6) *Carm.* I, 20.

2° Glyconium, scilicet τριποδία λογαοιδική catalectica, spondaeo ut basi praefixa.

Aūgūs | tī tĭmĭ | dōs dĭ | ĕs

3° Anapaestus dimetrus ὑπέρμετρος. Sed tribus primis ejus versus anapaestis subrogari possunt spondaeus aut dactylus.

Lĭbĭtī | nāe rătĭ | ō quōs | făcĭt ā | trōs.

Mira sane est illa στροφή. Nam praeterquam quod tribus versibus constat, quod nunquam apud Latinos invenitur(1), insuper metris, ut ita dicam, secum pugnantibus formatur; nam in primo et in tertio versu, scilicet in anacraeonteo et anapaesto, ἄρσις, seu pars fortis pedis, posterior ponitur, cum in secundo, glyconio scilicet, prima est. Immo, in ea forma miscentur tria genera metrorum : genus inaequale, ad quod pertinent iambi primi versus, genus λογαοιδικόν cum secundo metro, genus aequale cum anapaestis tertii metri.

In *Epigrammatibus* reperiuntur dactyli hexametri duabus (2), δίστιχα elegiaca decem et septem (3), iambi trimetri novem (4), iambi trimetri scazontes sex (5), iambi trimetri cum dimetris interpositis quinque (6), iambi dimetri una (7), phalaecia hendecasyllaba undecim (8) vicibus. De quibus modis nihil peculiare occurrit dicendum

(1) Cf. tamen Hor. *Epodon* 11, 13. Alii alio modo dividunt.

(2) *Epigr.* 40, 41.

(3) *Epigr.* 2, 3 5, 6, 8, 10, 14, 19, 22, 26, 28, 44, 46, 47, 48, 49, 50.

(4) *Epigr.* 4, 13, 15, 32, 37, 38, 39, 42, 51.

(5) *Epigr.* 21, 27, 30, 34, 36, 45.

(6) *Epigr.* 11, 24, 25, 33, 35.

(7) *Epigr.* 1.

(8) *Epigr.* 7, 9, 12, 16, 17, 18 20, 23, 29, 31, 43. — Cf., insuper, p. 34, VI, 1° et 2°.

nisi de scazontibus : mirum est a Beroaldo illud metrum, satis insolitum, nec una vice, assumptum esse (1).

Ut omnes poetae *neolatini*, ex antiquis poetis non sola metra et στροφάς, sed multa alia mutuatus est Beroaldus. Ut de uno Horatio loquar, fere incredibile est quam frequenter eum noster imitatus sit. Ad quod monstrandum haec prae oculis ponere sufficiat :

Me Septimillae lentus amor tenet.
Carm. I, 1 (2).

Nam me nec violens detinet Africus.
Carm. I, 2 (3).

Cum matre ludens, Gratiaeque
Hic saliunt crepitante lympha.
Carm. I, 3 (4).

(1) Ut quae ad τὴν μετρικὴν τεχνήν Beroaldi pertinent absolvamus, hic notare juvat in versibus aliquot quaedam negligenter a Beroaldo scripta esse. Hic et illic inveniuntur elisiones haud probandae.

Te decorant Faleri, atque inumbrant
Carm. I, 3.
Idus decembres Melpomene eia age.
Carm. I, 6.
Tandem ad me Imperia, ut pollicita es, venis.
Carm. I, 22.
Indole se egregia efferentem.
Carm. II, 3

Haec caesura non probanda est :

Quem longa excruciasti || miserum mora.
Carm, I, 22.

Cetera hujusmodi Qui profecto defectus in opere post mortem auctoris edito facilius excusantur. — Grates hic agimus D° Alexio Crosnier, doctissimo viro Andegavensi, quod hanc nostri operis partem de metris Beroaldi volens ac libens legit et emendavit.

(2) Hor. *Carm.* III, 19, v. 28 ; *Epod.* 11, v. 24.

(3) Hor. *Carm.* III, 30, v. 10.

(4) Cunctum illud Carmen ex Horatiano, I, 4.

Et te nefasto progenuit die
Invisa mater, et rabiem tibi
Pro lacte suggessit...

Carm. I, 9 (1).

Sic te semper amet Venus...

Carm. I, 10 (2).

Nunc gaudet stabulis pecus,
Disjunxitque boves cautus agricola.

Carm. I, 12 (3).

.....Animae dimidium suae.

Carm. I, 12 (4).

Et ipse norat pro patria mori
Pulchrum esse.

Carm. I, 14 (5).

O matre turpi filia turpior...

Carm. II, 5 (6).

Non audita pridem
Carmina mellifluo ore canta.

Carm. II, 7 (7).

Jam liberatus non statuam tibi
Aut templa ponam, regia munera.

Carm. II, 9 (8).

Dum florens viguit ver Glycere tibi,
Sola haesisti animo credula spes meo

Carm. II, 17 (9)

(1) Hor. *Carm.* II, 13.
(2) Hor. *Carm.* I, 3, v. 1.
(3) Hor. *Carm.* I, 4, v. 3.
(4) Hor. *Carm.* I, 3, v. 8.
(5) Hor. *Carm.* III, 2, v. 13.
(6) Hor. *Carm.* I, 16, v. 1.
(7) Hor. *Carm.* III, 1, v. 2-4
(8) Hor. *Carm.* II, 17, v. 30-32.
(9) Hor. *Carm.* III, 9.

Hoc provida mens Dei
Precavit olim, ne si hominum genus...
Carm. III, 3 (1).

Omnia tandem in Beroaldo formam redolent antiquitatis. Nonne enim videntur hi versus antiqui esse (2) :

Veneris puer
Cum Matre ludens, Gratiaeque
Hic saliunt crepitante lympha.
Hic saepe Faunus, saepe et Amadryas
Saepe et salaces hic Satyri ebrias
Saltant Choreas, hic Diana
Fessa solet recreare membra.

Unde fit ut dii deaeque antiquae, qui saeculo sequenti parum feliciter a poetis adhibiti sunt, apud Beroaldum proprio in loco siti appareant. Saeculo enim XVII° omnia gaudent figura propria : id saeculum in scriptis suis et religionem et mores multum ab antiquis diversos exprimit; unde dii antiqui, qui in hujusmodi scripta allati sunt, in terra aliena videntur habitare. Saeculo XVI° contra, omnia cum redoleant antiquitatem, credimus nos opus antiquum legere; unde fit ut in hujus aetatis operibus, imprimisque in Beroaldinis carminibus, deos antiquos ficte collocatos esse non sentiamus neque aegre feramus.

Etsi Beroaldus antiquos multum est imitatus, nihilominus propriis neque exiguis dotibus ac non parvo ingenio gaudet. « In summo poeta, scribebat ipse Beroaldus ad Julium Medicem, quatuor illa praecipue solent requiri, spiritus in rebus, sublimitas in verbis, in affectibus motus, decor in personis (3 . » Equidem, Beroaldus non summus poeta fuit, aliquo modo tamen iis dotibus gavisus

(1) Hor. *Carm.* III, 5, v. 13.
(2) *Carm.* I, 3.
(3) Ms. Vat. lat. 5809, f. 1r.

est. Sane, hic et illic serpit, aut negligentius quaedam scribit (1). Sed revocandum est in memoriam haec Carmina et Epigrammata nisi post mortem auctoris non in lucem venisse; ceterum, etsi Beroaldus versibus suis ultimam manum non admovit, attamen quae ab eo dicuntur sunt fere omnia ingenue et pulchre, atque aliquoties splendide inventa, necnon dicendi modo fere semper purissimo, poetico et facili reddita et expressa.

In rebus quidem religionis canendis parum valet Beroaldus (2), pluris vero fit in iis quae ad bella et rempublicam pertinent. Felicibus enim coloribus Principem bonum depinxit et de eo eximie scripsit (3). Philosophiam quidem etsi non ignorat, ea tamen parum delectatur (4); sed de rebus ad mores spectantibus, et praesertim de tristitia vitae et de morte pulcherrima habet :

> Sat est beatus quem semel unico
> Divina virtus lumine viderit (5).

Insuper bonos vidit contumeliis vexatos, malos gloria refertos (6). Quod autem fortasse hoc tempore rarius est, acriter sentit quod in rure amoenum est (7). Tandem de rebus jocosis, de amoribus, de puellis multum, interdum nimis feliciter, scripsit, ut jam variis in locis supra lectum est.

Quod Beroaldi poeticum opus stylo fere ubique purissimo praestat. Etenim, etsi « sublimitatem in verbis » (8) a summo poeta requirebat noster, attamen semper abhorruit ab haud laudabili scribendi modo in quem multi praecedentis aevi, et praesertim Philippus Beroaldus

(1) Cf., supra, p. 82.
(2) *Carm.* II, 9.
(3) *Carm.* II, 3. Cf. etiam I, 6, 21; III, 8.
(4) *Carm.* II, 16.
(5) *Carm.* III, 3.
(6) *Carm*, I, 4.
(7) *Carm.* I, 3.
(8) Cf., supra, p 85.

senior, inciderant; modum, scilicet, quo eligebantur, ut junior ipse ait in epistola quadam ad Galeatium Bentivolum, « verba illa sesquipedalia et ampullosa ac desita, quae multis risum, pluribus stomachum movent (1). » In eadem epistola Beroaldus Codrum laudat quod istum modum « miro odio spreverit. » In phalaeciis quae epistolis Plinii a patruele suo emendatis subjunxit, in eumdem dicendi modum invehitur :

Haud sequaris istos
Qui portenta vomunt reconditorum
Verborum ; mage qui videntur esse
Docti inter sciolos; apud disertos
Nil insulsius est, ineptiusque. (2)

Ea in Joannem Baptistam Pium Bononiensem scribebat noster; ea rectius in patruelem scribere poterat; atqui ipse, quanquam inter istiusmodi scriptores Bononiae primam vitae partem egit, attamen neque in suis carminibus, neque ceterum in aliis suis scriptis, incidit in id vitium, sed bono et laudabili dicendi modo semper usus est.

Cum Beroaldus sua carmina scriberet, multi illustres poetae paucis abhinc annis jam vita excesserant. « Paucorum annorum spatio, scribit ad eum Bembus, quot et quales viros amisimus, Picum, Politianum, Pontanum, Pomponium, Hermolaum ! Nunc autem, si unum aut alterum excipies, quotus erit quisque jam in Italia reliquus, quem cum iis conferre possimus? » (3). Quibus mortuis, facilius erat Beroaldo clarescere ; eo maxime quod poetis aequalibus, Phaedro scilicet, Bembo, Procio, Sadoleto et

(1) Antonii Codri Urcei *Opera* (1502), f. 2 (Beroaldus Galeatio Bentivolo).

(2) C. Plinii *Epistolae* (1502). Cf., supra, p. 34.

(3) Bembi *Opera*, IV, 189.

aliis, quamvis ipse de se demisse sentiret (1), ingenio haud cedebat.

Non mirum igitur Beroaldum olim et suo tempore et etiam apud posteros multa poetica laude gavisum esse. Quae quidem laus quanta fuerit, multis testimoniis apparet, e quibus hic unum et alterum referre placet (2.)

« Non adeo morosus est Junior Philippus Beroaldus, ait Lilius Gregorius Giraldus, et longe melior poeta quam Philippus Beroaldus senior. Promptam ac paratam habet ubique facultatem. Lyricis ille magis quam alio scribendi genere delectatur, ex quibus et laudem assequitur, tametsi in his interdum sibi nonnihil indulgere videtur, id quod et Horatium Flaccum fecisse vult Fabius, quem in hac parte imitandum sibi proposuit. Hic et iambicos et hendecasyllabos, elegosque composuit, omnium (ut mea fert opinio), cum vacat, lectione dignos (3). »

De duobus Beroaldis hos scripsit versus Caramella :

De Sene non loquor, at Juvenis tibi carmine, Horati,
Est etiam similis quod sibi saepe placet (4).

His elogiis aliud majus addidit Mazzuchellius. Scribit enim illud poeticum Beroaldi opus magna celebritate claruisse saeculo XVI°, praesertim inter Gallos ; cujus rei inter alia testimonia refert sex translationes ejus operis in gallicam linguam factas a variis scriptoribus, inter quos

(1) *Carm.* I, 6.

(2) Cf., insuper, quae in cap. I° leguntur.

(3) Lilii Gregorii Giraldi *De Poetis nostrorum temporum*, p. 391. (Dialogus primus)

(4) Caramella, *Museum illustrium Poetarum*, p. 240. — Ab aliis testimoniis abstineo ; cf. Pierii Valeriani *Hexametri*, *Odae et Epigrammata* (Venetiis, apud Gabrielem Jolitum, 1550), f. 68 ; Pauli Jovii *Vita Leonis X^i^*, lib. III (Basileae 1578, in-fol.), p. 58; *Elogia* (Basileae 1577, in-fol.), p. 102 ; Jo. Franc. Pontianus, in : *Carmina Illustrium Poetarum italorum*, VIII, p. 7-14 ; Orlandi, *Notizie degli Scrittori Bolognesi* (1714), p. 113 ; G. V. Marchesi, *Monumenta virorum illustrium Galliae togatae* (Forolivii, 1727), 101 ; cet huj.

Clementem Marotium imprimis nominat. (1) Idem post Mazzuchellium omnes qui de Beroaldo juniore scripserunt mirabili consensu iterum dixerunt, et, inter alios, Fantuccius, qui addit non minimae laudi Beroaldo juniori esse quod tanto honore gavisus sit apud istam gentem quae plerumque « Italorum merito aegre favet. » (2).

Sed in hoc plane errant omnes. Quem in errorem lapsi sunt Mazzuchellii quidem sequaces quod hunc auctorem temere retulerunt, Mazzuchellius autem quod ea quae scripserat Goujet perperam legit. De iis enim translationibus dicit Mazzuchellius Goujet locutum esse, Goujet autem loco allato non de juniore, sed de seniore loquitur, nec senioris ipsius cunctos versus, sed aliquos tantum in linguam gallicam a variis scriptoribus translatos esse dicit (3). Rei vero verba ejus scriptoris, non Mazzuchellii et aliorum concinunt (4).

Nihilominus, non eo ipso concludendum est Philippum Beroaldum juniorem nulla laude apud exteros claruisse. Contra, multi ex iis de eo locuti sunt, iique honorifice. Inter alios Gerardus Vossius, Batavus gente, dicit eum « poetam fuisse *patre* (Beroaldo scilicet seniore) meliorem », eique gratulatur quod « non tantus fuerit sectator recon-

(1) *Op. cit.* T. II, P. II, p. 1020.

(2) Fantuzzi, *Notizie degli Scrittori Bolognesi*, T. II, p. 144.

(3) « Vous trouverez moins de désagrément dans les traductions de quelques opuscules de Philippe Béroalde l'ancien, né à Bologne en Italie, le 7 novembre 1453, et mort dans la même ville, le 17 juillet 1505, âgé de 52 ans. Ce critique philologue paraît avoir eu plus d'érudition que de goût. C'était un médiocre versificateur, mais il a quelquefois du naturel, et il y a plusieurs de ses écrits qui ne sont pas méprisables. Clément Marot, François Habert, d'Issoudun en Berri, Richard le Blanc, Calvy de la Fontaine, Gilbert Damalis et Claude de Pontoux en ont traduit quelques-uns. « Goujet, *Bibliothèque françoise* (Paris, 1744) VII, p. 24-30.

(4) Quae Philippi Beroaldi *senioris* opera translata sint, cum scriptoribus qui ea transtulerunt, paucis verbis hic refero. Marot. Pontoux, *Tristes vers de Béroalde* ; Habert, Le Blanc, *Tancrède, roi de Salerne, Richard Gismunde* ; Habert, *Titus et Gisippus* ; Calvy de la Fontaine, Gilbert Demalis, *Ivrogne, Débauché, Joueur.*

ditorum verborum. » (1) E Gallis Aegidius Menagius ejus carminibus multum delectabatur, eaque saepe refert (2), et Adrianus Balietus de illo saepius etiam loquitur (3).

Attamen, cum propter alia, tum quia non patria lingua, sed *mortua*, latina nempe, illi versus scripti sunt, paulatim oblivioni sunt traditi. Adhuc hodie fortassis a quibusdam leguntur, sed ab iis non tam propter poeticum suum leporem quam quia res et homines temporis Julii II[i] et Leonis X[i] illustrant. Nunc igitur, una cum suo auctore illud poeticum opus, quanquam olim a Jovio aeternitate dignum celebratum est (4),

It per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam (5).

(1) Vossius, *De historicis latinis* (Lugduni Batavorum, 1627), III, p. 668. Cf. etiam Olai Borrichii *Dissertatio de poetis latinis* (Francofurti, 1683), p. 95; *Catalogus Bibliothecae Bunavianae* (Lipsiae, 1750-1756), T. I. P. III, lib. IV. cap. III, sect III.

(2) *Menagiana* (Amsterdam, 1716), T. III, 347, IV, 150, 231.

(3) *Journal des Sçavans*, T. II, P. II, p. 105; T. IV, P. III, p. 102, 103. Mazzuchellius quidem dicit a Balieto versus Beroaldi junioris parvi factos esse (*Op. cit.*, T. II, P. II, p. 1019), sed in hoc errare videtur cum nihil simile, quod sciam, apud Balietum inveniatur

(4) P. Jovii *Elogia* (Basileae, 1577, in-fol.), p. 102.

(5) Catulli *Carm.* III.

CONCLUSIO

Ex operibus quae Philippus Beroaldus junior composuit, non pauca, fateor, videntur esse posteritatis oblivione obruta, et quasi penitus exstincta. Quis enim hodie Beroaldinam *Isocrateae ad Demonicum Orationis* translationem legit? Quis etiam Beroaldi *Carmina* et *Epigrammata* in manibus habet? Eruditissimi tamen illius viri, qui Vaticanae Bibliothecae fuit praepositus, memores semper erunt docti homines qui hanc tanta fama Bibliothecam habebunt in pretio. Adde quod praeclara illa adversus Alidoxium trucidatum *Oratio*, qua quidem noster, Francisci Mariae Roborei defensor et patronus, fuit tragici istius facti quasi particeps, digna profecto est quae ab omnibus illius aetatis historiam cognoscere cupientibus attente perlegatur et consideretur. Praeterea, quia primus dedit operam Beroaldus ut Corn. Taciti *Annales* typis mandarentur, necesse est Beroaldum memori studio et grata mente prosequantur omnes, quos immortales Taciti libri admiratione afficiunt.

Tandem Beroaldi nostri memoriam negligere nequeunt qui rebus hominibusque illius temporis student, quo litterae et artes esse *renatae* dicuntur. Non dubium est enim quin et vita sua et scriptis suis Beroaldus fuerit unus ex iis a quibus ejusdem aetatis effigies ante oculos nostros magis meliusque exprimitur. Tunc enim homines duabus rebus, ut jam dixi, eminere soliti erant, ἐνεργείᾳ scilicet et antiquae humanitatis amore : ἐνεργείᾳ, inquam, seu virtute (1) quadam propria, singulari quidem et incredibili, qua impulsi vehementissime ad id totis viribus tendebant ut aliquid pulchri aut magni facerent, ipsique illustres clarique efficerentur ; antiquam vero humanitatem ita ardenti studio complectebantur, ita in deliciis habebant, ut jam et Graecis et Romanis litteris

(1) La *Virtù*.

viderentur imbuti plenique omnino. Unde factum est ut hominum illorum et vita facilioribus moribus corrumperetur, et scripta, exquisitissima quidem verborum elegantia ornata, modo dicendi magis quam rebus dictis niterent, ac voluptatum delicias celebrarent saepius, nedum austeritatem et gravitatem redolerent.

Quae autem omnia apud Beroaldum nostrum aperta prorsus fiunt et manifesta. Quamvis enim nobili progenie ortus, minus origini suae quam viribus suis fidit; sicque proprio fultus ingenio, fortunam effecit suam, Bononiae primum, deinde Romae magister et doctor, mox, obtenta et Leonis X^i et optimatium amicitia, summis honoribus auctus atque amplificatus.

Praeterea cum Graeci tum Latini sermonis scientia praeclarus (nec solitus, cum scriberet, italica lingua uti) (1), antiquorum libros doctissima imitatione prosequebatur, ut colligi potest (proferatur exemplum) ex illa *Oratione* qua Franciscum Mariam Roboreum defendit, quae quidem *Oratio*, singulis fere locis, M. Tullii Milonianam sequitur ; neque oblivisci volo qua diligenti cura, qua felici aemulatione in Carminibus suis Horatii carmina et modos adumbret atque exprimat. Immo antiquae culturae Beroaldus ita deditus est ut moribus et scriptis potius Jovis Venerisque cultor quam Christi discipulus videatur. Quae scripta, tandem, non tam rebus quae dicuntur quam modo dicendi praestant.

Equidem, fatemur eum non illa fama gaudere qua floruisse scimus Sadoletum, Bibbienam, Bembum, aliosque ejusdem aetatis *humanistas*. Cujus facti causa non hinc quaerenda est quasi paucis et mediocribus ingenii virtutibus praeditus fuerit ; sed Beroaldus non ea indole erat praeditus qua clarus inter homines fieret. Etenim cum plerique *humanistae* in rebus publicis versarentur, cum omni modo quaererent ut famam adipiscerentur, Be-

(1) Unam enim, ni fallor, epistolam italico sermone scripsit.

roaldus, miti et solitaria indole, de solis humanioribus litteris curavit, et res publicas nunquam tractavit, nisi ut amicum suum Franciscum Mariam Roboreum oratione defenderet. Exhinc minor ejus fama, quamquam latino sermone, ut nemo meliore, usus est, quanquam carmina, ut nemo exactiora, composuit.

Etsi vitam nimis solutam egit, Beroaldus tamen (quanquam sacerdotio nunquam auctus est) inter *clericos* fuit annumeratus. Quae quidem res eo tempore nullius admirationem movebat, cum tunc tam multos doctrina et litteris conspicuos viros Ecclesia Romana conaretur ad se attrahere et secum quodam vinculo conjungere : pulchra enim spe allecti Ecclesiae duces optabant ut quisque scientia et ingenio praestans novum decus, novum lumen Christianae societati afferret. Res autem aliter cessit atque sperabatur. Docti enim illi et litterati homines (quos *humanistas* vocabant) ita agere, ita scribere soliti sunt (praesertim in Italia), ut Christianorum mores disciplinasque verterent in deterius, nedum ipsi Christianis disciplinis fierent meliores.

Itaque Italiae, et luxuria et avaritia corruptae, Numinis ira tunc imminebat. Beroaldo enim nondum mortuo, « impius Lutherus », ut Beroaldi ipsius verbis utar (1), in Germania ortus erat, quo quidem *Dei Flagello* caesi, mox multi debitas meritasque poenas persolverunt ; sicque correcti et emendati, novis eximiisque virtutibus Romanam Ecclesiam ornaverunt. Testis sit Hieronymus ille Aleander, qui secundus post Beroaldum (Acciaiuolo mox vita functo) fuit Vaticanae Bibliothecae praepositus : unus enim fuit, et praestantissimus fortasse, ex *humanistis* illis qui, rectiorem vitae viam ingressi, Romanam Ecclesiam non, ut tot alii, moerore affecerunt et pudore, sed contra consolati sunt, et summa laude illustrarunt.

(1) Cf., supra, p. 73.

APPENDICES

I

QUONAM GRADU PROPINQUITATIS PHILIPPUS BEROALDUS JUNIOR CUM SENIORE CONJUNCTUS FUERIT

Ut dixi supra (1), fuit olim non parva dissensio inter auctores quonam gradu propinquitatis fuisset cum Philippo Beroaldo seniore conjunctus Beroaldus noster junior. Forsitan doctis viris gratum sit hic diversas opiniones legere.

Alii, nec ignobiles scriptores, filium senioris juniorem fecerunt. Horum primus fuisse videtur Marcus Antonius Flaminius cum, in versibus supra allatis, vocat Beroaldum *clari progeniem patris* (2). Sed versus, de quibus agitur, non satis aperti sunt et clari. Eamdem sententiam fuisse ab Erasmo in suo *Ciceroniano* affirmatam scribunt Mazzuchellius et Fantuccius (3). Sed, ut opinor, nullo jure id scribunt; nam in *Ciceroniano* nihil hujusmodi invenitur. Bulephorus enim, Hypologus Nosoponusque, inter se disserentes de plurimis ejus aevi scriptoribus utrum Ciceroniani sint annon, cum ad duos Beroaldos veniunt, haec loquuntur (4):

BULEPHORUS. — Quid Philippum Beroaldum majorem? Video, abnuis, id sciebam fore.

NOSOPONUS. — Imo, annuo, si mihi commendas hominem de literarum studiis praeclare meritum; sin postulas eum in Ciceronianorum adscribi catalogum, abnuo. Philippum Beroaldum juniorem citius recepero, quanquam is perpauca misit in literas.»

Erroris quem Erasmo attribuit Mazzuchellius parens fuisse

(1) P. 6-7.

(2) Cf., supra, p. 9.

(3) Mazzuchelli, *Op. cit.*, T. II, P. II, p. 1017; Fantuzzi, *Notizie degli Scrittor Bolognesi*, II, 136.

(4) Erasmi *Opera*, I, 1010, B.

videtur Vossius (1), qui in suo *De Historicis latinis* opere, postquam e Beroaldi senioris epitaphio haec verba (quae immerito quidem in epitaphio opinabatur esse scripta), retulit : « Philippus et Vincentius filii haeredes ex ipsius testamento posuerunt », addit : « Ex filiis hisce Philippus poeta fuit patre melior. » Immo, verisimile est Mazzuchellium de Erasmi circa Beroaldos testimonio deceptum esse a Vossio qui in eodem libro addit : « Erasmus in Ciceroniano suo, cum patrem dixisset hominem de literarum studiis praeclare meritum, juniorem tamen, ut inquit, in Ciceronianorum catalogum citius receperit. »

Vossium secuti sunt et Miraeus (2), et Dornius (3), qui praedicat « juniorem, sive filium, longe meliorem patre poetam » ; et Balietus qui dicit « Beroaldo fuisse filium ejusdem nominis, quem Paulus Jovius nepotem fuisse falso credidit » (4) ; et Josephus Carafa qui nihil haesitans scribit : « P. Beroaldus *junior*, ut a P. Beroaldo patre distinguatur. » (5)

Causa erroris Vossiani fuerunt, credo equidem, illa verba quae opinatus est, ut supra dixi (6), fuisse in epitaphio senioris inscripta : « Philippus et Vincentius filii haeredes ex ipsius testamento posuerunt » ; quae verba eodem modo sunt relata a scriptoribus qui Vossium secuti sunt (7). Sed hunc legendi modum non rectum esse constat ex ipsa Beroaldi senioris sepulchrali inscriptione, quippe quae illa verba habeat : « Vincentii filii haeredes ex ipsius testamento posuerunt. » (8) Sublata hac argumenti specie, quae scilicet ex eo epitaphio trahebatur, nihil aliud praeter communia nomina communemque patriam nos inducere posset ut hujusmodi cognatio crederetur ; sed ut credatur, illud manifeste non sufficit.

Immo juniorem filium senioris, legitimum saltem, non esse

(1) *De Historicis latinis* (Lugduni Batavorum, 1627), III, 668.

(2) A. Miraei, *De Scriptoribus ecclesiasticis saeculi XVI* (1649), apud *Fabricium*, p. 128.

(3) Jonsius et Dornius, *De Scriptoribus historiae philosophicae* (Ienae, 1716), II, p. 123.

(4) A. Baillet, *Jugemens des Sçavans* (1685), T. II, P. II, p. 105. Cf. etiam T. IV, P. III, p. 102.

(5) J. Carafa, *De Gymnasio Romano et de ejus professoribus* (Romae, 1751), p. 123.

(6) Cf., supra, p. 94.

(7) Mazzuchelli, *Op. cit.*, T. II, P. II, p. 1017.

(8) Mazzuchelli, *Op. cit.*, T. II, P. II, p. 1008.

ex eo jam constabat, cum scilicet adhuc ignota esset quam supra retuli epistola (1), quod junior anno 1472 nascebatur, quo tempore senior nullum matrimonium contraxerat, quippe qui matrimonium iniret anno 1498, quo tempore junior jam litteras docebat. Utraque res e quadam Antonii Urcei ad Baptistam Palmarium epistola liquet : « Philippus Beroaldus major factus est novus maritus, et quam duxit uxorem ? Filiam excellentis viri et jurisconsulti optimi Vincentii Paleoti, puellam pulchram et decem et septem annorum, quam si videas dicas Florem esse ipsum. Ego vocatus ad cœnam, illi et affinibus gratulatus sum. At Philippus Beroaldus junior, quem maxime amas, profiteri publice incepit, qui exceptus est omnium plausu imprimisque mei, nam et in nostro ludo sedit (2). »

Multi alii scriptores, nescientes quo gradu propinquitatis uterque Beroaldus invicem conjunctus esset, dixerunt eos solummodo *gentiles* esse. Eo enim unico verbo usi erant, in scriptis ante nostrum tempus cognitis, cum saepe ipsi Beroaldi, tum multi alii, inter quos aliqui aequales scriptores. In elogio quod de juniore Beroaldo, auditore suo, senior fecit, juniorem *suum gentilem* esse dicit (3). Eodem verbo utitur ipse junior in versibus de obitu Thomae Phaedri Volaterrani :

> Huc, ubi gentilisque meus Beroaldus iniquos
> Explicat anfractus scriptorum (4)

Quam propinquitatem antea, in praefatione quam Antonii Codri Urcei operibus praefixerat, *arctissimam* esse praedicaverat (5).

Hos *gentiles* fuisse dixerunt etiam quotquot aequales, si Jovium excipias, qui de illa propinquitate egerunt, scilicet Bembus qui, in quadam ad juniorem epistola, ait se « valde doluisse Beroaldum, gentilem ejus, praeclarum sane virum, mortem obiisse » (6) ; Pinus qui, postquam de Beroaldo seniore locutus est, dicit Beroaldum juniorem fuisse « gentilem et cognominem

(1) Cf., supra, p. 7.
(2) Antonii Codri Urcei *Opera* (Bononiae, 1502), f. S. ii. (15 april 1498.
(3) Cf., supra, p. 8.
(4) *Carm.* III. 5.
(5) Antonii Codri Urcei *Opera* (1502), f. 2.
(6) Bembi *Opera*, IV, p. 188 (Ibid. januar. 1505).

ejus (1) » ; Erasmus qui Basilea die 1ª martii 1524 Jodoco Gavero scribebat : « Hujus (senioris scilicet) cognatum, eodem nomine et cognomine referentem illum, vidi Romae ; juvenem moribus candidissimis, stylo et eruditione non inferiorem illo majore, judicio multorum, ut et mihi visum est, etiam superiorem. Hunc juvenem fata e terris eripuerunt (2). »

Idem etiam postea multi affirmarunt, inter quos referri possunt Bernardus de la Monnoye, Fabricius et Malagola. (3) « Si Beroaldus junior, inquit doctissimus ille, non fuit senioris filius, saltem ei sanguine conjunctus est. »

Alii tandem Beroaldum juniorem fratre senioris ortum esse dixerunt. Quod quidem primus asseverasse credebatur Paulus Jovius in suis *Elogiis*. « Excepit, inquit, doctrinae haereditatem ejusdem nominis fratris filius (4). » Illud vero multi, imprimisque Fantuccius (5), ut figmentum tenebantur, quippe qui Paulum Jovium, falso quidem mea sententia, scriptorem splendidiorem quam veraciorem haberent. Sed, ut supra dixi (6), Beroaldus ipse junior, in epistola ad Aldum Manutium scripta, Jovii verbis fidem facit et rem dilucidat, asseverans se « esse nepotem Philippi Beroaldi. »

II

PHILIPPI BEROALDI JUNIORIS
PRO FRANCISCO ROBOREO
URBINI DUCE DEFENSIO (7)

Beroaldina Oratio historicum, ut aiunt, nec minimi pretii, monumentum constituit. Attamen cum ejus *summam* in capite IV° sedulo dederim, eam *totam integramque* referendam esse non duxi :

(1) J. Pini *Vita Philippi Beroaldi senioris*, (De qua cf. supra, p. 8), p. 144.
(2) *Opera*, III, 788 A.
(3) Primus in suis ad Balietum adnotatis (In : *Jugemens des Sçavans* ; de quo opere cf , supra, p. 94) ; secundus in sua *Bibliotheca mediae et infimae latinitatis* (Patavii, 1754, T. V, p. 291) ; tertius in sua Antonii Codri jam allata *vita*, p. 290
(4) Pauli Jovii *Elogia* (Basileae, 1577, in-fol.), p. 65. Cf. insuper *Menagiana* III, 347, cet. huj.
(5) G. Fantuzzi, *Notizie degli Scrittori Bolognesi* (1782), II, 136.
(6) P. 7.
(7) Cf. supra, cap. II et IV, p. 31, 46, et seq. — Ut scripsimus supra (p. 31),

quippe quae longissima sit, atque hic et illic nihil fere praeter verba sonora afferat. Hujus igitur orationis quasdam tantum partes hic refero, eas scilicet quae majoris momenti mihi visae sunt. Quo facilius autem quae excerpsi intelligerentur, et quo meliore in lumine ponerentur, ea haud semel annotavi.

Alia quaedam annotata, quae in ipso codice leguntur (1), retuli his postscriptis verbis : *Annot. ms.*

Origo et vita Alidoxii.

Fuit, judices, Alidoxia familia nobilis illa quidem et antiqua, et quae in Foro Cornelii principem locum diu obtinuit, cujus familiae villici ac, ut verius dicam, mediastini (2) fuere pater, avus proavusque hujusce nostri Alidoxii, qui cum ignobilitatem multum consiliis suis afferre difficultatis arbitraretur, bellissimum id putavit si se Alidoxium cognominaret. Ceterum in obscuro Æmiliae vico natus quibus dixi majoribus pueritiam nulla recta educatione traduxit, adolescentiam inter scorta et aleatores egit, sine viri nomine, viros semper quaerens, quibus ita assueverat ab ineunte aetate ut in corroborata quoque nunquam ab illis postea fuerit alienus. Habet quidem adolescentia multa ab ipsa natura blandimenta, multas etiam vias lubricas quibus insistere atque ingredi sine prolapsione vix quisquam potest ; multum illi aetati indulgetur, neque ad morum prorsus censuram revocatur ; ex qua tamen posteaquam excessimus multum detrahi de ludis illius consuevit, cupiditatesque ipsae, quas natura jam profudit maxime, deseruere. Hic vero noster cum pueritiam exuisset. puerilitatem in omni vita comitem sibi reservaverat, vitia quae in ceteris crescente aetate flacessere ac deteri solent,

in indice Bibliothecae Vallicellianae, qui anno 1749 exaratus est, codex hujus bibliothecae in quo legitur Oratio Beroaldina dicitur *autographus*. Sed quo saepius hunc codicem legimus, eo magis num hoc rei consonaret dubitavimus. Nam cum ipsa verba « Philippi Philippina » quae in uno e primis foliis leguntur, tum praesertim plurimi loci qui in oratione ipsa negligenter aut mendose scripti sunt, nos pronos fecerunt ad credendum hunc codicem non ab ipso Beroaldo, sed ab alio scriptore exaratum esse. Quem in Vaticana Bibliotheca Denistonius a se lectum esse dicere videtur (*Op. cit.*, T. II, p. 328), hic fortassis *originalem* (ut aiunt) scripturam continet.

Quae sic reperi negligenter aut mendose scripta, in iis quae ex illa oratione excerpta hic excusa sunt, ut facultas tulit, correxi

(1) Cf, supra, p. 31.

(2) « Priscianus mediastinos interpretatur servos abjectissimos lavantibus in balneis ministrare solitos. » (Annot. ms.).

in hoc monstro coaluerunt et tanquam in arce propria vigebant.

In nido itaque libidinum volutatus, in clientelam Juliani Cardinalis *S. P. ad vincula* quem nunc Julium II^um^ veneramur multa et occulta arte se dedit. Etenim, judices, quod nos quoque non praeterit, erant in eo praetextata quaedam vitia, magna dissimulatione contecta : primo illo amicitiarum congressu sincere agere, blande etiam et humane, nihil avide, nihil libidinose, nihil sordide, omnia liberaliter tractare, comiter amplexari, naviter exequi verbis candidis et compositissimis multa blanditia associatis, quibus artibus nil mirum si in clientelam Juliani penetravit, quam multis officiis fundavit, magna dexteritate continuit, summa porro fide primis illis temporibus adauxit, quo postea haberet majus fallendi et fraudandi velamentum. Neque enim, judices, summi principes falli ab eo servo plerumque non possunt cujus fidem semel atque iterum prospexerint constantem et incorruptam. Nam cui tuto aliquando credideris huic maxime libet credere ; illorum vero sibi amicitiam conciliare in primis studebat quos videbat apud Julianum gratia plurimum valere, quorum opera postea sceleribus suis impunitatem impetraret. Ac nescio quo fato, judices, fieri dicam ut omnes ferme principes hac infecilitate opprimantur quod ii qui cum illis vivunt cunjunctissime, qui quidem perpauci sunt, illorum existimationi nunquam recte consulunt, dignitatis famaeque nequaquam eos admonentes, gratiam illorum tantum aucupantes, uni fortunae veriusquam principum dignitati et benevolentiae consulentes. Hos ergo Alidoxius captare, officio promereri, iis sese dare, ita eos sibi defensores parare : nam si aliquid aut factum nequam aut dictum improbe ad aures principis referretur, quod illius animum posset convellere, hic ad artes et praesidia confugiebat sua : fucatas illas et coemptas amicitias quasi machinas ad aures principis oppugnandas ac devinciendas adhibebat. Quid, judices, non recordamini hunc nostrum Alidoxium, jam abhinc decennio a Juliano e familia et contubernio ignominiose ejectum, postea multis magnisque sequestris in clientelam rursus tanquam erronem vix aegreque receptum. Ita est, judices, quod vobis usu quoque evenire credo ; non est etiam in ratione rei familiaris ut velitis vivere : tot enim plerumque amici, quibus quicquam abnegare nefas esse ducitis, vos circumstant ut non sit respirandi locus, dictum non dictum, factum non factum constantissime asseverent aut aliqua leniant excu-

satione, sic nobiscum acriter pugnant ut nos expugnent strenue et quasi triumphum de nobis agant.

Juliano ad clavum hujus imperii moderandum adscito, Alidoxius ad rapiendam rempublicam occasionem oblatam sibi arbitratus, et praefecturam fisci pontificii nactus secundam et uberem quam vulgo Thesaurariam vocant, allectus opinor nomine illo divite, thesauros certe conflavit quantos maxime concupivit, defraudans improbissime religionem homo religiosus. Sic enim sibi persuaserat et palam dictitabat : homini quantumvis improbo, modo pecunioso, Romae ad summas dignitates aditum patere. Cum vero toto illo praefecturae tempore magnam vim auri comparasset ac animus altiora jam meditaretur, videretque esse plerosque in summa apud Pontificem gratia qui conatibus suis nefariis possent se opponere, eos partim veneno, partim falsis delationibus e medio sustulit, ac tanquam obices suis cupiditatibus oppositos perfregit atque disjecit ; sic antistitem Jaderensem (1) summae eruditionis virum necavit, sic P. Paulum Calliensem equitem Hierosolymitanum mirae integritatis hominem calumniis quotidianis evertit ; quos vero suis cogitatis non adversaturos opinabatur, spe, promissis, muneribus, pecunia, scortis lactabat, atque his praesidiis viam sibi stravit, munivit ac sepsit undique ut facilem aditum ad Papiensem episcopatum invenerit, nec multo post fortuna eum altius extulit quo graviore casu rueret. Siquidem, veluti lupus in ovile, sic ipse in ordinem vestrum irrupit violenter, omnibus bonis ingemiscentibus et multum reclamantibus. Meministis enim, judices, quantis altercationibus res illa fuerit agitata, quibus contentionibus decertata, cum boni omnes acri animo vehementer reclamarent ne securis illa cervicibus Reipublicae infligeretur, ne labes ordini, dedecus imperio, macula religioni turpissima inureretur. Habuit res exitum quem timebamus, recepta est vipera illa venenata quae suum virus in optimum quemque vestrum statim coepit evomere. Etenim ubi se pestis illa vobis dignitate parem cognovit, tum demum credidit isto se laticlavo purpureo et linea praetexta impunitatem quantumvis immanibus sceleribus sempiternam comparasse : umbellam istam furoribus suis tanquam cly-

(1) Franciscus Pisaurus, archiepiscopus Jaderensis et Patriarcha Constantinopolitanus. Gams, *Series Episcoporum*, 425.

peum praetendens, caecus libidine efferrata, praeceps amentia ruere, Principes senatus, quales vos estis. lectissimi homines, occulto primum odio, mox etiam aperto persequi, vitae illorum insidiari, nullam istius vestrae dignitatis rationem in alio habere; et erunt, si diis placet, qui nunc illius existimationem habendam contendant! An vero nescimus, judices, Antonium Savonensem, Sancti Vitalis cardinalem, Bononiensem Legatum, ab isto multis criminibus falsis primo insimulatum, deinde veneno etiam sublatum, quo legationem plenam nummorum invaderet (1). Joannem Stephanum Ferrerium Cardinalem Bononiensem qui, anno proximo, senatus maxima jactura, vita functus est (2), quotiens audivi, judices, conquerentem de injuriis ab Alidoxio sibi et procuratoribus suis illatis ob affectatum viventis adhuc episcopatum. Propinquos et affines Julii Pont. Max. insectari inimiciter non desistebat, et hunc nostrum Urbinatem ante omnes premere, tum quod eum spiritus ingentis nosset, tum quod animus, credo, conscius illum fatalem praesagibat sibi; quae res non injustam Urbinati causam aliquid gravius in eum audendi attulisse videbatur; sed has inimicitias aut prudenter concoquebat, aut certe ultionem ad justiorem occasionem reservabat.

Rebus apud Pontificem ex animi sententia compositis, Alidoxius legationem Bononiensem ac totius Æmiliae sibi poposcit, se enim unum asserens qui provinciam tranquillam posset praestare; revera coeperat animo majora agitare: more avidi ingenii, quod semper ulteriora spe praecipit ac devorat, et quo plura habet eo ampliora concupiscit, jam tetrarchias, jam regna sibi et fratri suo destinabat. Nam quod ipse in religione aut potius censu religionis magnum se videbat, nam XXX $-\frac{\text{I}}{\text{L}}-\frac{\text{I}}{\text{L}}-\frac{\text{S}}{\text{S}}-$ (3) annuo

(1) *Antonio Ferrerio*, Savonensis, prius Nolensis, deinde Iguvinus episcopus, tum Perusinus archiepiscopus, et cardinalis presbyter tituli Sancti Vitalis. De quo cf., supra, p. 53.

(2) *Gio. Stefano Ferrerio*, episcopus Vercellensis, postea Bononiensis, et cardinalis presbyter tituli SS. Sergii et Bacchi. De quo cf. Paridem de Grassis, in *Op. cit.*, passim.

Is revera anno 1510 (die scilicet 5ª octobris) vita functus est. Cf. Gams, *Series episcoporum*, p. 676 Cum igitur Beroaldus dicat eum *anno proximo* vita functum esse, inde patet hanc orationem anno 1511 esse scriptam. Quod etiam deducitur ex iis quae infra leguntur (p. 104) de Julio II° qui *proximo autumno*, anni scilicet 1510, Bononiam se contulerit.

(3) Sic. Quod signum, si arti veterum scripturarum, quam palaeographiam vocant, fidas, verbo *libra* interpretandum est. Sed cum, ex una parte,

redditu exigebat, reliquum esse arbitrabatur fratrem suum Æmiliae regulum facere ac sanctam hanc rempublicam, quam in praefectura aerarii fuerat depeculatus, jam inter optimates adscitus, optima provincia atque opima spoliare. Ut Bononiam pervenit vulturius iste pileatus, sacrificio barbaro et immani legationem imbuere voluit. Quatuor cives (1) primae nobilitatis ac summae integritatis veluti pecudes jugulari indicta causa et in forum abjici truncos jussit, causa tum ignorata, non multo post intellecta : ex iis duo nimium studiosi partium pontificis sunt existimati posseque aliquando se illius conatibus opponere, reliqui hominis rapacitatem verbis liberioribus notasse crediti.

Neque vero, judices, intra hos terminos immanitas scelerati hominis constitit. Nondum propinqui et affines occisorum cadavera avitis sepulcris intulerant cum Alidoxius nurum unius jacentis adhuc, quod eam formae admodum elegantis esse inaudierat, ad se vocari ac non dicto audientem attrahi jubet ; quam cum pudicitiae comperisset obstinatae, vi comprimere conatus, in os oculosque mordicus involavit ; cumque illa misera vociferaretur, cunctaque clamoribus obstreperent, voces exceptae a plurimis fuere qui majus aliquid veriti, quanquam quid hoc majus esse poterat, sed illi male formidantes ne animo virili foemina in effeminatum violatorem ferro grassaretur, irruperunt in cubiculum et aestuantem Alidoxium furiis libidinis et multum anhelantem deprehenderúnt. Cum vero Bononienses foeminas ut nimis rusticas et agrestes fastidiret, puellam nobilem hic sanctus et pacis purpuratus Florentia raptam Bononiae diu detinuit. Cum interim tamen, credo quidem, domestica sordebant ac adulterii

librae in Italia hoc tempore non essent, et, ex altera, de regulis palaeographiae observandis homines saeculi XVI[i] parum curarent, non *librae*, sed verisimiliter *ducati* (aurei) legendi sunt.

(1) « Nomina decollatorum et causam est videre apud Jovium in elogio virorum illustrium, lib. 4 in Francisco Alidoxio.» (Annot. ms.). — Illa fusius referuntur apud Gozzadini in *Atti e Memorie... per la Romagna*, IV (1886), p. 111 et seq. Tres illorum civium erant e Concilio 40 Reformatorum, Albertus de Castello, Innocentius de Arengheria, et Sallustius de Guidottis. Quarto nomen erat Bartholomaeus Magnanius. Occisi sunt die 27ª Junii 1508. Jubente legato, de illis mortuis judicium factum est, ubi insimulati sunt Bentivolis favisse. « Tutti i cronisti, ait Gozzadini, e storici nostri ed altri, tanto secolari quanto ecclesiastici, dichiarono concordemente che i quattro fatti strozzare dall' Alidosi non erano colpevoli. » Cf. etiam M. Sanuto, *I Diarii*, VII, col. 558.

crimen pusillum homini videbatur, virgines vestales novus Claudius attentabat, eas vi incestabat, nullam religionis et cerimoniarum rationem habens ; quasi vero nescimus etiam volumen illi fuisse in deliciis in quo variae veneris formae depictae essent, quod homo hic studiosus horis illis quae divinae vocantur non legeret modo diligenter, verum etiam unice diligeret (1)....

Ad haec ergo facinora tam nefaria conturbata civitas Bononiensis et universa provincia conditionem suam miseram deplorare, cum ad se non rectorem sed raptorem, non legatum sed tyrannum, non religiosum sed hostem sacrorum, non pudicum sed pudicitiae violatorem missum cognosceret, cum ille interim tributa nova imponere, vetera si qua per Julium fuerant liberaliter condonata revocare atque illa acerbissime exigere ; si cujusque civis aurum inolfecisset, illius aream admotis arietibus summa vi pugnare atque expugnare, ac, ut magnam vim auri cogeret, in tota provincia jura venalia instituere, sacerdotiaque ipsa nundinari. Neque enim tam vacuus unquam et justitiæ inanis inventus est hic noster Solon quin illam affatim pro tribunali non habuerit venalem, legibus et institutis tum publicis tum privatis, modo spes lucri aliqua affulsisset, derogare et abrogare, ac novis suis sanctionibus veteres antiquare, senes sacerdotes in primis captare et nimium vivaces de statu et possessione bonorum dejicere, nonnullis adinventis nodosis captiosisque sycophantis ; ita cuncta jura miscere, leges confundere, miseros provinciales vexare, quodque indignius erat, hanc potestatem aequam cum pontifice habere se praedicare, quasi vero pontificis unquam fuerit justitia ipsa abuti, eamque tanquam ceram fingere, formare in hanc modo effigiem, modo in illam ducere, ac non ille quod liceat solum hoc semper comprobarit, ut qui viva sit virtutis et expressa justitiae imago. Nullum finem dicendi faciam, judices, si omnia quae in legatione Bononiensi commisit Alidoxius voluero exequi : quare si quis me hoc loco praeteriisse multa aut ignorasse dicat, huic ego ita res-

(1 Quid sit de iis sentiendum cf., supra, p. 52 et seq. Sed quamvis vera ea esse quis dicere velit, non possum tamen non stomachari cum cogito ea in Alidoxium prolata esse ab isto Beroaldo quem pravissimis moribus deditum pudere debuerat quod homini impuritatem crimini verteret. Hoc dicendi modo Beroaldus non orator, sed comoedus et histrio fuisse apparet.

pondebo, multa esse omnino illa quae me de tam scelerato portento et nunquam a criminibus otioso fugerint, neque enim silvam vitiorum tam immensam facile potuisse perlustrari, sed multa etiam illa esse quae volens sciensque praeterierim, ne illum in judicium vocare mortuum, non hunc nostrum defendere viderer. Quin, judices, ne quis fuisse nos in criminibus inquirendis multum negligentes criminetur, en vobis tabularum volumen attulimus quo innumera scelerati hominis flagitia continentur, quam quidem gratiam tibi et agimus et habemus, Mari Cuccinne (1), qui quod advocatus es fisci causam defuncti suscepisti; id quod arbitramur te non tam tuo judicio fecisse quam officio ductus ad hanc accusationem descendisse....

Quare si singula crimina, quae proxime enumeravi, sacerdotem condemnant et ordine expungunt suo, quid nos de Alidoxio oporteat constituere intelligitis, in quo omnia illa summa erant, quem nulla nobilitas commendavit, nullae virtutes illustrarunt, in maxima infamia vixit semper, pueritia turpis, adolescentia flagitiosa, juventus profligata in sacrilegiis, in depeculatione, in largitione exercitata, decursa aetas parricidiis, rapinis, circumscriptione sociorum, spoliatione provincialium, auctione sacerdotiorum debacchata.

Quae audistis hactenus, judices, satis, opinor, demonstrant Alidoxium pro cardinale habendum non fuisse, neque adeo esse potuisse, ac jure ipso et legum divinarum sanctionibus ex ordine vestro excidisse; simulque illud effecisse me arbitror ut jam cognoscatis non pro collega vestro ulciscendo sedere vos, sed de nece hominis nefarii judicaturos. Ita duae illae nefariae adversariae, quae non parum molestiae causae nostrae afferebant, depulsae penitus videntur et rejectae.

Perduellio et nex Alidoxii.

Cum Æmiliam omnem sub titulo legationis crudelissime diripuisset Alidoxius, eam fratri suo tradere postremo constituerat; nam quod se ortum gloriabatur ab Alidoxiis, qui aliquando in Æmiliam imperassent, jure quodam suo gentilitio regnum illud

(1) *Mariano de' Cuccini*. In consistorio diei 24ae oct. 1511, in quo cardinales qui concilio Pisano favebant dignitate cardinalitia privati sunt, is Marianus ut *procurator fiscalis* et *civis Romanus* datur. Paris de Grassis, *Op. cit.*, I, 308

repetebat. Meminerat praeterea Hieronymum Riarium, Sixti IV[i] sororis filium, eam tenuisse, Caesarem Borgiam, Alexandri VI[i] filium, in ea regnasse ; eo impudentiae homo pervenerat ut se pontificibus illis summis nequaquam crederet inferiorem , sed enim cum id saepius a Julio Pont. Max. petiisset frustra, ac videret ordinem senatorium ejus cupiditati refragaturum, Principem praeterea Urbini vicinum illi hostem fore sempiternum, statuit aliunde auxilium furori suo quaerere. Fortuna illud attulisse visa est : si quidem cum proximo autumno Julius Bononiam se contulisset, ut Alphonsum Estensem Ferrariae principem ejiceret patria et regno (1), ac Ludovicus Rex Gallorum copias auxiliares Alphonso misisset,idque Julius graviter ferens non Alphonsum modo e suis sedibus, sed Gallum quoque de possessione Liguriae et Insubriae parasset exturbare, Gallique sibi quoque consulentes validum exercitum Juliano opposuissent, ac Julius interim tum ob hiemis asperitatem, tum persuasionibus Alidoxii Bononia Ravennam concedens Alidoxium Bononiae legatum reliquisset, jamque exercitus Gallorum in quo Bentievoli erant, quos Julium quinquennio ante Bononia, ubi locum principem habebant, expulerat, ad Lavinum amnem consedisset, Pontificius vero, cui Urbinas praeerat, secus flumen Renum castrametatus esset, enimvero Alidoxius tum demum occasionem sibi duplicem oblatam arbitratur et Urbinatem evertendi et regno Æmiliae potiundi ; nam et pridem cum Gallo senserat, et ne acie cum eo dimicaretur antea prohibuerat , cum haud magno negotio eum superari posse constaret. Ratus itaque consilia sua non ulterius differenda, aurum, argentum, vestem, suppellectilemque omnem pretiosiorem clam urbe exportari jubet; peditibus qui ad II millia erant pro custodia urbis relictis,eos cives praefecit quos Julio in primis noverat infensos ac nominis Bentivolorum studiosos; iis quae visa sunt commisit. Inter eos erat Laurentius Ariostes (2), qui nocte intempesta portam quae ad exercitum Gallorum spectabat dolabris perfregit, Bentivolos admissurus. Qui tamen primo aliquam fraudem occultam subesse veriti, urbem ingredi non nihil cunctabantur ; sed

(1) Gozzadini, *Op. cit.*; in *Atti e Memorie... per la Romagna*, T. VII (1889), p. 163 et seq.

(2) *Lorenzo degli Ariosti*. De quo cf. Paridem de Grassis, *Op. cit.* I, 276 ; Guicciardinus, l. IX, c. V ; (Milano, 1829), p. 334.

Alidoxius omnium rerum certior statim factus nullum portae praesidium mittit, ac simulato metu periculi, se fuga subducere apparat. Cumque multi adessent nobiles fortes cives qui animos illi dare conarentur, ac eum suppliciter obtestarentur ne se in extremis malis desereret, posse nullo negotio primordiis tantae rei obsisti, magnam civitatis partem in exules male animatam : quod si tamen populo non confideret,partem exercitus intromitteret, qui populum in officio contineret, ad ultimum si res non belle caderet, arcem tutissimam receptaculum non defuturum : ad quae omnia obstrepente conscientia obsurduit Alidoxius. Itaque, nemine ex ipso exercitu super tanta re certiore facto, Forum Cornelii primo aufugit, inde Solarolum oppidum non longe semotum, ubi cum tentasset frustra cum praefecto arcis colloqui et aliquos ibi viros principes hortatus esset ut venienti se Gallo dederent, mox in vicum patrium se recepit, expectaturus eventum rerum. Interim Bentivoli urbem occupaverant, et loca opportuna mira celeritate munierant. Senserat hoc M. Antonius Columna, vir magni animi, spectatae virtutis, dignusque prorsus vetere illa Roma, qui partem exercitus Pontificii ducebat : is ne quid quod ad strenuum imperatorem pertineat omitteret intentatum, si quid opis urbi tumultuanti afferre posset cum suis cohortibus moenia undique perlustrat, portas omnes et stationes obit exploratque diligenter. Omnia invenit Bentivolorum praesidiis teneri. Quae cum Urbinas intellexisset, accepissetque Gallorum exercitum instructissimum excurrere, cum ad arma expedienda et consistendum tempus non daretur, quia per Alidoxium legatum agi de compacto cum hostibus videbat, consilium quod in tanto discrimine et ratio et necessitas obtulerat capit, sarcinas et impedimenta Gallo irruenti objicit, ipse cum exercitu sensim Forum Cornelii se recipit, inde copiis in tuto constitutis Ravennam ad pontificem contendit. Alidoxius interim, animi dubius, quid consilii caperet non habebat (1), quumque in magno animi aestu agitaretur,

(1) Ad ea facilius capienda, hic quomodo res evenerint paucis verbis refero. Nocte media inter 21^{am} et 22^{am} diem maii, Bentivoli Bononiense palatium occupant : die Jovis 22^{a} maii « hora circiter 20^{a} » (Paris de Grassis), Alidoxius Bononia fugit : eadem die, hora tertia noctis, dux Urbinas, fuga Alidoxii audita, Bononiam ingredi conatur, sed a Bentivolis, Trivultio cum ruricolis adjuvante, repellitur, suique in fugam vertuntur. Die sabbati 24^{a} maii,

nuntium ad Pontificem praemittit, qui animum illius exploret; mox eumdem revocat ex itinere ac statuit ipse ire. Confidebat enim a se tum quoque aures Julii quas antea faciles semper habuerat posse deliniri. Ut Ravennam pervenit Alidoxius, forte Urbinas ad exercitum rediturus prandebat apud Federicum Fregosum Archiepiscopum Salernitanum, affinem suum, hominem splendidum et omni virtute ornatissimum. Cum intelligit Alidoxium cum cohorte equitum advenisse, admiratus Urbinas hominis dementiam seu potius insanem temeritatem, constitit deliberabundus; tandem exarsere ignes animo, subiit ira, non dicam ut ille cadentem (absit enim tanta verbi infelicitas) sed certe labantem Rempublicam [auderet] ulcisci, ac meritas de tam scelerato proditore poenas sumere, nec pati monstrum illud publico bono diutius illudere. Deus Opt. Max. hanc illi mentem, hos animos, hanc iram immisit, ut cominus, pedes ipse, adversus equitum cohortem consisteret, ac victimam religioni expiandae aptissimam, humano generi salutarem mactaret. Acta res est illa, judices, mihi credite, animo prorsus virili, consilio certe divino; sicut narravi gesta sunt omnia, proditor ab imperatore est interfectus, victa est virtute malitia et fortitudine oppressa temeritas ac justae irae parentatum. Quid autem Respublica, quid vos consecuti ex hac nece sitis non hoc loco attinet dicere, quorum nonnulli si fera illa viveret non viveretis (1).

Ad id quod quaestionis nostrae est accedamus, ac signis, testibus, argumentis propius congrediamur. Neminem vestrum esse certe scio, judices, cui Alidoxii cupiditas infinita non fuerit prae-

legatus Ravennam advenit, « hora 13ª », (Paris de Grassis), id est circiter 9ª matutina; eadem die, cum iret coenatum apud Pontificem, ab Urbinate trucidatur. Cf. Paridem de Grassis, *Op. cit.*, I, 275-280; Guicciardinus, *Historia d'Italia*, l. IX, c. V; (Milano, 1829), p. 334-336; Leoni, *Op. cit.*, p. 132; Gozzadini, *Op. cit.*; in *Atti e Memorie.., per la Romagna*, VII (1889), p. 215-221.

(1) Paululum aliter res a multis historicis narratur, nempe Urbinati e palatio Pontificis egredienti Alidoxium *fortuito* obviam fuisse. Ita Paris de Grassis, *Op. cit.*, I, p. 278; Ruscelli, *Lettere di Principi* (Venezia, 1581), T. I, 8-11 (*Leonardo da Porto* ad *Antonio Savorgnano*, 3 aug. 1511); Ciaconius, *Op. cit.*, III, 228; Raynaldus, *Annales eccles.*, XI, p. 598; Leoni, *Op. cit.*, p. 132. Beroaldo autem consonat Gozzadini, quippe qui dicat ab Urbinate Alidoxium industria fuisse quaesitum. (*Op. cit.*; in *Atti e Memorie... per la Romagna*, VII (1889), p. 223). — Praeterea Beroaldo etiam consonat Paris de Grassis cum dicit legatum, antequam Ravennam veniret, a nuntio certiorem factum esse Pontificem in se non esse iratum, seque proinde sine periculo eum adire posse. (*Op. cit.*, I, p. 278.)

cognita, neminem qui ignoret illius libidinem Æmiliae pro fratre suo occupandae, neque unquam illi a Pontifice quicquam super hac re et ab ordine vestro concessum fuisse, esse autem hominum insatiabilium et ingratorum hanc perversam naturam ut nisi novis beneficiis vetera accumules et beneficiis beneficia adstruas, quicquid collatum est antea levius pluma existiment, datum non datum asserant, ac ubi aliqua occasio lepida sese offerat, in eam incumbant, te deserant. Alidoxium cum Ludovico rege Gallorum consensisse jampridem cum multa alia indicia manifesta ostendunt, tum illa certissima, quod ne cum acie dimicaretur in magna opportunitate caverat, quod, cum de nece Alidoxii discumbenti regi supervenisset nuntius, excepta est vox regis magnum se amicum perdidisse conquerentis; cujus rei testem hic adstare videtis Augustinum Ferrerium Episcopum Vercellensem (1), summae fidei hominem, qui eo ipso tempore mensae regiae adstabat; sed et exercitus Gallorum Æmilia non prius excessit quam cognita Alidoxii nece cui venerat militaturus. Odium vero Alidoxii in Urbinatem cui, rogo, erat ignotum, quantaque esset illius hunc evertendi insania (2)? Litterae ad Pontificem scriptae calumniarum plenae satis id ostendunt. Quae consilia cum parum ex sententia procederent, cui dubium esse potest illum sibi aliunde praesidia comparasse quo libidini satisfaceret suae? Scilicet magnum erat homini in rapinis, stupris, veneficiis, parricidiis exercitato de proditione quoque cogitare! Etenim, quemadmodum animus recte institutus per quosdam virtutum gradus ascendere nititur semper, quoad felicitatem solidam complectatur, sic animus malis artibus infectus, ubi semel viam scelerum est ingressus, nullum invenit progressionibus suis modum, et quo ulterius procedit, arridente fortuna, non communia et proxima cogitat, quae jam sordent, sed monstra meditatur moliturque portenta, donec eadem fortuna duce temeraria fallente, in praeceps ruat. Sic Alidoxii animus familiaria scelera fastidiebat, furore tamen aestuabat, ac prorumpere aliquo gestiebat; nullum

(1) *Agostino Ferrerio*, frater Joannis Stephani Ferrerii, primum Niciensis, deinde Vercellensis episcopus. Gams, *Series Episcoporum*, p. 588, 826.

(2) De illo Alidoxii in Urbinatem odio cf., inter alios, *Andrea Marcello*, *Op. cit.*; in *Atti e Memorie... per la Romagna*, T. V (1887), p. 5 et seq.; Guicciardinus, *Historia d'Italia*, l. IX, c. V; (Milano, 1829), p. 334; Gozzadini, *Op. cit.*; in *Atti e Memorie .. per la Romagna*, IV (1886), p. 124 et seq.

scelus novum sibi atque inexpertum se offerebat, nisi proditionis alicujus insignis, quam utilitas, occasio, odium suadere sunt visa; quo fit ne audiendi quidem sint illi, qui dicunt rem prorsus dignam risu existimare Alidoxium, quod legationem ageret, tam nobilem tam fructiferam, quod antistes etiam esset Bononiensis, nam ex obitu Ferrerii haec quoque illi praefectura contigerat, tot certa bona in periculum proditione conjicere voluisse; quasi vero non de compacto ageret cum Gallo ac majus inde se commodum adsequi non confideret, modo nulla proditionis indicia exstarent. Nam et a Gallo omnia eadem illa integra conservasset, et a Julio nihil metuisset, qui acceptam calamitatem aut fortunae assignasset, aut in Bononienses auctores rejecisset; demum, quod Alidoxio omnibus praefecturis et legationibus erat gratius, Urbinatem sustulisset, quo uno e medio sublato Æmiliam nulla contentione daturum se fratri suo confidebat. Quod si nulla affuit suspicio, quid sibi voluit illa supellectilis exportatio clandestina? Video quid respondere possit Cuccinus: si proditioni animum intendisset, non fuisset cur supellectilem magnopere quaereret exportare, quam apud Gallum amicum tutam fore intelligeret; magis populi insanientis repentinum aliquem motum fuisse veritum: ita et se ad fugam expeditum et sua in tuto esse voluisse. O legatum praeclarum, o te acrem defensorem! Quid ergo? Si populo diffidebat, cur quotidie Julio Pontifici per litteras significabat populo Bononiensi nihil esse firmius, nihil fidelius; quod ne me confingere arbitretur quisquam, proferantur illae ipsae litterae.

Litterae Alidoxii ad Julium Pontificem (1).

Satisne vobis liquet populum Bononiensem non fuisse cur universum haberet suspectum? Sed age, cur non suspectos cives diligentius custodiebat, non capita factionum si qua inesse suspicabatur comprimebat, non loca urbis opportuna firmiore praesidio muniebat, non omnia denique munia vigilantis et strenui legati exequebatur? Quotiens vero Ludovicus Canossae comes, Eps Tricariensis (2), summae libertatis atque integritatis

(1) Sic.

(2) Cf. Ughelli, *Italia sacra*; A. Pieper, *Zur Entstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen* (Friburgi, 1894, in-8), p. 56-58. — Gams (*Series Episcoporum*, 935) dicit Ludovicum die 1ª januarii 1515 Episcopum Tricariensem *confir-*

homo, quem hic adstare cernitis, eum admonuit et liberius accusavit quod suspectis civibus committeret quicquam, quotiens Pepuli et Malvetii (1), quae primariae sunt in ea civitate familiae, multis precibus cum eo egerunt, videret quibus crederet urbis tutelam! Quibus respondit, sane inclementer, omnia sibi curae fore, proinde alias res agerent, et Legato curam omnem relinquerent, videlicet hanc disciplinam regendarum civitatum; ex republica Platonis hauserat hic probus gubernator auro, gemmis, argento recte cavere, arcis curam negligere, nullam in ea commeatus rationem habere, arma suspectis potissimum civibus committere. Jam vero illud quoque ex interiore arte ac secretiore disciplinae civilis expromptum erat. portae effractae nullum praesidium summitere, cives fortes ac bene sentientes, quae quidem multo maxima pars erat, contemnere, duces super tanta re non quamprimum certiores reddere: hoc loco, judices, vos interrogo, quae res hominem possit excusare? Nihil jam queror suspectis civibus arma et urbis curam fuisse commissam, arcem negligenter custoditam, portae subsidium nullum summissum, cives bene suadentes rejectos: superbiae sint haec, negligentiae assignentur, sane si libet imperitiae; quanquam haec omnia non sine summa turpitudine, sed nec sine certissima suspicione proditionis negligi possunt. At vero ducem ipsum et ductores non admonere periculi imminentis, quid habet in se tandem excusationis, nisi voluisse ut imperator cum ipso exercitu intra urbem et Gallum inclusus deleretur? Ac ut veterum exempla omittamus, nonne vidimus aevo nostro Paulum Vitellium Tifernatem summum ducem, quod in oppugnatione Pisarum negligenter urbem expugnasse in magna occasione visus esset, in suspicionem Floren-

matum esse. Quod si nonnisi hoc tempore ad hanc episcopalem dignitatem Ludovicus esset evectus, jam nostra oratio non anno 1511, sed multis postea annis scripta esset. Solidissimis autem argumentis constat hanc orationem anno 1511 esse exaratam. (Cf., inter alia, supra, p. 100). Quare concludendum est Ludovicum, etsi forsitan die a Gams data episcopus Tricariensis *confirmatus sit*, satis multo antea hac sede Tricariensi *potiri incepisse*, quod certe ante annum 1511 elapsum contigit, et verisimiliter eodem ferme tempore quo Oliverius Carafa ejusdem sedis *administrator* factus est, die scilicet 24a aprilis 1511 (Gams, *loc. cit.*). Ceterum, indicat ipse Gams eorum quae his annis ad Tricariensem sedem pertinent se non omnino gnarum esse.

(1) Cf. Paridem de Grassis, *Op. cit.*, passim; M. Sanuto, *I Diarii*, VII, p. 257; Gozzadini, *Op. cit.*; in *Atti e Memorie .. per la Romagna*, IV (1886), p. 86.

tinis venisse ac poenas capite luisse? Hoc est ingenium hominum cupidissimorum, per fas et nefas ad altiora semper anhelantium, ut non periculum praesens intueantur, sed ad quae aspirant cupiditate caeca rapiantur. Et mehercule ego quoque, Mari Cuccine, ita arbitror Alidoxium et se et sua in tuto esse voluisse, ut dum fugam probe assimulat et omnibus male fidit, si quid non ex sententia successisset, plane sua quoque conservaret. Age vero, cum Alidoxius urbe excessisset ac Solarolum pervenisset, nonne cum praefecto arcis colloquia frustra tentavit, ac nonnullis oppidanis ut se Gallorum ducibus dederent suasit? Quod ne me forte comminisci ac falsum crimen defuncto intendere credatis, testem amplissimum et judicem sedere vobiscum videtis Achillem Crassum cardinalem Bononiensem (1), qui haec ipsa de oppidanis audisse se confirmabit, cujus quidem testimonio cum nihil neque sanctius esse neque gravius possit, adhuc de proditione quisquam dubitabit, quam ista ipsa luce videt esse clariorem? Quae tamen si nulla fuisset, cur Foro Cornelii non recta ad Pontificem Ravennam contendebat? Nam si nihil peccasset, vel si negligentiae tantum potuisset accusari, certe quod a Pontifice metueret nihil erat, cujus aures habuisset faciles atque indulgentes. Ubi vero in castrum patrium se recepit, quid illa ad pontificem nuntii itio et revocatio fluctusque mentis, animi inconstantia? Agebant praecipitem, mihi credite, poenae civium Bononiensium, exhaustus provincialium sanguis, pudicitia expugnata, religio violata, fama spoliata; haec ejus animum sine furore atque amentia consistere non sinebant. Quid porro cum ipse Ravennam ingressus esset, quid illa equitum armatorum manu opus erat in civitate praesertim socia et amica nostri imperii? Ubi certe principem cardinalem, cujus persona religione armata ac sanctitate obvallata esse debet, inter hastas, bipennes, tragulas conspici non decuit. Nimirum illa ipsa conscientia quae uniuscujusque nostrum optima est ac verissima judex nefario proditori omnia reddebat suspecta. Sciebat ipse quid commisisset, etiam quid esset meritus non ignorabat. — « At hunc ipsum Urbinatem timebat; noverat hujus in se odium, ab eo cavendum vel in amica civitate intelligebat. » — Non erat quod ab hoc quicquam timeret ob odium privatum, cui si jam pridem indulgere vo-

(1) *Achille Grassi*; de quo Gams, *Op. cit.*, p. 676.

luisset, sexcentae occasiones hominem invitarant, vel cum Bononiae Alidoxius centunculo indutus velata facie quotidie pene moechatum prodiret, non ignorante id Urbinate. Potuit hoc apud exercitum, saepius potuit hieme proxima percommode nullo cum periculo, cum Alidoxius in suspicionem Julio venisset collusionis cum hoste Gallo. Recordamini enim, judices, datum negotium Urbinati ut Mutina Alidoxium sub custodia Bononiam duceret, nec defuisse tunc qui Urbinati vitio darent quod occasionem amisisset tam bonam praeclari facinoris perpetrandi (1). Non suasit ratio quod occasio dictabat, et quamvis multae offensae veteres animum irritarent, quae ad justam ultionem impellerent hominem, constantior hic tamen esse voluit ac patientior quam aetas ista ferret, praesertim multis offensionibus provocata, ne quid privato odio dedisse videretur. Quid non potuit veneno, quod si occulte successerit summa fit impunitate? Sed enim magnanimus vir in causa justa maluit periculose facere, quam non viriliter, non regie, non imperatorie cuncta exequi. An vero, judices, non creditis haec illi omnia in mentem venisse cum ad illud monstrum excidendum divino impulsus numine raperetur: posse se Pontificis animum graviter offendere, vestri ordinis voluntates ab sese alienare, sibi aqua et igni interdici, se ex communione gentium ablegari, ab illa Alidoxii manu facillime confici, demum isthuc ipsum capitis judicium, regni, dignitatis fortunarumque omnium discrimen subire (2). Verum nihil tanti fuit, quod eum a re tam praeclara tam salutari, tam gloriosa absterreret. Quin ad hoc judicium vocatus, cum illud tergiversatione, atque excusatione aliqua fortasse non inepta posset declinare, volens libensque sententiis vestris se obtulit, spem omnem tum in vestra justitia et sapientia reponens, tum in facti illustris conscientia et summa justificatione. Neque enim

(1) Longa illius facti narratio invenitur apud Paridem de Grassis (*Documenti e Studi. . per la Romagna*, I, 243, cum annotatis Ludovici Frati editoris), et apud Gozzadini (*Op. cit;* in *Atti e Memorie... per la Romagna*. VII (1889), p. 170 et seq) qui Paridem de Grassis sequitur. Cf. insuper G. B. Leoni. *Op. cit.*, p. 106, qui rem paulo aliter ac Paris narrat; P. Litta, *Op. cit.*, T. VIII; L. Pastor. *Histoire des Papes*. T. VI, p. 312. — Die 6ª octobris 1510 Alidoxius ab Urbinate captus est Sed Urbinatem mandato Pontificis id fecisse videtur esse fictum quoddam Beroaldi. Addit Paris Alidoxium a Julio benigne exceptum esse.

(2) « Il Papa con sua Bolla dichiarò decaduto dalla duchea e da ogni altro grado il nipote homicida » Gozzadini, *Op. cit.*, VII (1889), p. 231.

persuadere sibi potuit vos sententiis vestris a consensu omnium gentium dissensuros ; nam per Deum immortalem, judices, cum primum Romae nuntiatum est Alidoxium ab Urbinate occisum quae tota in urbe concursationes ? Quae animorum gestientium significationes cernebantur ? Alii ut in bono insperato invicem se intuentes obstupere, alii plenae laetitiae et alacritatis vultu Deo Opt. Max. gratias agere, Urbinatem in coelum tollere, manus istas tantorum scelerum expultrices cupere exosculari : quae vero in universa Æmilia civitas non publicam laetitiam demonstravit. quod castellum ad Urbinatem legatos non misit gratias actum, qui vicus hunc liberatorem suum non invocavit, non honores antea ineditos excogitavit ac detulit, non diem illum Alidoxio funestum ut sibi vitalem et vere natalem celebravit? Quare, judices, si Æmilia ipsa loqui posset, non dubito quin apud vos hac voce sit usura : « Conservate, judices, liberatorem meum, nolite committere ut quae mihi res attulit salutem, ea salutis auctori exitum attulisse videatur..... »

Sic, inquam, Æmilia, judices, apud vos loqueretur, cujus certe preces aequum est vos exaudire, ut ostendatis, id quod est, commoda provinciarum hujus imperii tranquillitatemque vobis magnae curae esse, et vos neque a judicio omnium bonorum dissentire, neque adeo ab ipsius Dei Optimi voluntate, cujus non mediocri consilio tantam rem peractam fuisse quae ante ipsam mortem signa, quae in morte evenerunt manifestissime demonstrant. Recordamini, judices, proxima hieme universam Æmiliam terrae motu graviter concussam. Quid creditis? Tellus ipsa medius fidius parens optima portentum illud ulterius alere ac diutius sustinere gravabatur : in Adriaticum aut in aliquas solitudines exportandum atque abjiciendum demonstrabat. Quid, cum semianimis jacentis corpus confectum vulneribus esset, non inventum esse quemquam qui humo tollere illud vellet, non fomenta adhibere, non ullis alloquiis solari, non demum illa ipsa officia exhibere quae ne inimicis quidem in re tam atroci et misera solemus denegare: tandem, cum horam jacuisset ac per libitinarium (1) in proximam tabernam deferretur, venienti jamjam occlusam, inde in aliam, porro in aliam, eum vix aegreque recep-

(1) « Libitinarius dicitur is qui locat aut vendit ea quae ad pompam funebrem sunt necessaria, vel qui curam habet sepeliendi funerum. » (Annot. ms .)

tum neque vero in lectulo delicato, sed humi substrato sui ipsius paludamento collocatum ! Nonne miraculo simillima sunt haec existimanda ? Quin medicos diutius cunctatos manus illi admovere, vulnera demum ejusmet linea interula abstersa, cum morientis verba haec vocibus interruptis sola audirentur, se propter peccata talem vitæ exitum ferre : qua quidem extrema confessione nulla neque testatior, neque expressior esse potuit, neque vos certius testimonium potestis expectare ; defunctum vero omni exsequiarum pompa caruisse ! Nonne divino consilio omnia haec evenisse putandum est ? En, judices, cur neminem confidere oporteat sceleribus locum esse diuturnum aut illis propositam impunitatem. Non fulgor purpurae,non census divites,non summae et amplae dignitates, non magni clientum comitatus, quae omnia in Alidoxio erant summa, a judicio divino quemque tuebuntur, neque a justa poena liberabunt. Itaque libet jam et certe licet exclamare : « Es, magne Deus ! Tandem aliquando miseros mortales respexisti ; serius omnino quam aut communis utilitas expostularet, aut nefarii proditoris scelera mererentur : cujus consilia cum nimios haberent successus, non deerant qui te curam nostrum omnium opinarentur abjecisse ; nunc vero hac significatione excitati,non modo credunt hanc imperii sedem tibi esse cordi, sed plane sciunt, vident ac manifestissime cognoscunt. »

FINIS

Vidi ac perlegi.
Lutetiae Parisiorum in Sorbona
A. d. XI Kal. Jun. MDCCCXCIX.
Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

Venetiis, ex typis V[ve] LAFOLYE & Fils.

INDEX PERSONARUM

ET RERUM

INDEX CAPITUM

INDEX PERSONARUM ET RERUM

Nomina quaedam, pauca quidem, quae in opere haud recta scripta sunt, in hoc indice rectiora leguntur.

INDEX CAPITUM

APPENDICES

ERRATA

P. 2, v. 17. XV°; *lege* XV.
P. 15, v. 1. Nunpandis ; *lege* nuncupandis.
P. 47, v. 13. Modenam ; *lege* Mutinam.
P. 48, v. 2. Rubens ; *lege* Rubeus.

Vannes — Imprimerie LAFOLYE, 2, place des Lices.

ERNEST LEROUX, ÉDITEUR

28, RUE BONAPARTE, 28

PARIS

ALLÈGRE (F.). — Étude sur la déesse grecque Tyché. In-8. **4 fr. »**

BAZIN (H.). — La Républiqne des Lacédémoniens de Xénophon, étude sur la situation intérieure de Sparte au commencement du IV^{e} siècle avant J.-C. In-8. . . . . **5 »**

BRÉHIER (LOUIS). — Le Schisme oriental du XI^{e} siècle. In-8. **7 50**

CHAPOT (VICTOR). — La flotte de Misène, son histoire, son recrutement, son régime administratif. In-8. . . . . . **5 »**

CUCUEL (CH.). — Essai sur la langue et le style de l'orateur Antiphon. In-8. . . . . **5 »**

DELFOUR (L.C.). — La Bible dans Racine. In-8. . . . **5 »**

ELIADE (POMPILIU). — De l'influence française sur l'esprit public en Roumanie. Les origines. Étude sur l'état de la Société roumaine à l'époque des règnes phanoriotes. Un fort volume in-8. . . . . **7 50**

— Quomodo fiat syllogismus, quidque valeat. In-8. . . . **1 50**

GALLOIS (L.). — Les géographes allemands de la Renaissance. In-8, avec reproduction de cartes anciennes. . . **8 »**

JULLIEN (ÉM.). — Les professeurs de littérature dans l'ancienne Rome et leur enseignement depuis l'origine jusqu'à la mort d'Auguste. In-8. . . . . **7 50**

MALOTET (ARTHUR). — Étienne de Flacourt, ou les origines de la colonisation française à Madagascar (1648-1661). In-8, carte et planche. **7 50**

PIQUET (F.). — Étude sur Hartmann d'Aue, poète allemand du XII^{e} siècle. In-8. . . . . **7 50**

WADDINGTON (A.). — L'acquisition de la couronne royale de Prusse par les Hohenzollern. In-8. . . . . **7 50**

WALTZ (A.). — Des variations de la langue et de la métrique d'Horace dans ses différents ouvrages. In-8. . . . . **5 »**

Vannes. — Imprimerie LAFOLYE, 2, place des Lices.